CONC NAZ
PROV. DIOC
162
B
27.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
27
NAPOLI

Digitized by Google

d by Google

108
e
1

Lazarus Carafinus auctor fuit Episc.
Melfiensis et Rapollensis, ubi synodus
celebravit an: 1624.

SYNODVS DIOECESANA COMEN. V.

A

LAZARO CARAFINO EPISCOPO, ET COMITE.

Inchoata die xvIII., Completa verò xx. Septembris Anno Domini M. DC. XXXIII.



COMI, Ex Typographia Amantij Frouæ.
M. DC. XXXIIII.

INDICTIO
SYNODI DIOECESANAE.
LAZARVS
Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Sanctæ Comen. Eccleſiæ Epiſcopus, & Comes &c.

SYnodorum inſtitutionem origine vetuſtam, atque vtilitate ſaluberrimam, vt potè ab ipſomet B. Iacobo Apoſtolo Hieroſolymorum Epiſcopo emanatam, & Decretorum ſanctione ad Dominicum gregem informandum relatam, cum neminem ignorare cenſeamus, neminem quoque latere putamus, quantum in tàm laudabili, & ſalutifero opere per Eccleſiarum Epiſcopos curæ ſit impendendum, ac ſolertia impertienda, eòque maior, quò maior eſt neceſſitatis euidentia. Cum itàque inter multa, quæ ad commiſſi gregis ſalutem, vel tuendam, vel procurandam Paſtoris vigilantiam requirunt, illud in primis occurrat, vt ad corruptos mores vineam Domini deuaſtantes, reformandos, & Eccleſiaſticam diſciplinam augendam, vel collapſam reſtituendam adijciendus ſit animus, & ſollicitudo adhibenda: Ideò Nos, qui Sanctæ huic Comenſi Eccleſiæ, Altiſſimo Domino ſic permittente, præpoſiti ſumus, noſtrarum etiam partium ducimus Eccleſiaſticas perſonas, quæ exemplo prælucere debent,

populoſq́, Nobis concreditos ſanctis legibus, atque inſtitutis communire. Vt autem huic Sancto propoſito optatus reſpondeat exitus, & vberior emanet fructus, Diœceſanam Synodum Sacrorum Canonum ſanctionibus, & Conc. Trident. grauiſſimo decreto præſcriptam, licet per Nos in hæc vsq́; tempora propter belli, peſtis, famis, aliarumque furentium iniuriarum incommoda dilatam, indicere, hocque noſtro ſpeciali edicto promulgari decreuimus, præſertim cum ex perluſtrata vaſtiſſima, ac difficillima Diœc. noſtra quamplurimos abuſus irrepſiſſe nouerimus, ac Decretorum Viſitationis Apoſtolicæ, Synodorumque per Prædeceſſores noſtros vigilantiſſimos habitarum ferè collapſam memoriam compererimus. Auxiliante igitur Domino Deo, à quo bona cuncta procedunt, & iuſta deſideria complentur, Synodum hanc Diœceſanam ſub fœlicibus auſpicijs Sancti huius noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis Patroni, atque Antiſtitis Abundij promulgandam, ac de menſe Septembri proximè futuro in SS. Prothi, & Hiacynthi tutelarium quoque noſtrorum, quorum corpora in Cathedrali noſtra honorificè aſſeruantur, & quæ dies vndecima, & Dominica erit, feſtiuitatibus inchoandam indicimus, atque decernimus. Mandantes propterea vniuerſis, & ſingulis beneficia quæcunque, etiam ſimplicia, & ſine Cura, vel quoquomodo in Ciuitate, & Diœceſi noſtra, vel intra earum fines obtinentibus, cuiuſcunque dignitatis, vel conditionis exiſtant, ac non tam maioribus, quàm minoribus ordinibus, etiam Clericali tonſura inſignitis, & in habitu incedentibus, omnibuſque alijs, etiam

exem-

exemptis, ac de iure, vel conſuetudine Synodo intereſſe debentibus, vt ſtata die vndecima menſis Septembris proximè futuri in noſtra Cathedrali Eccleſia, iuxtà methodum in Tabella præſcribendum, perſonalitèr conueniant, vel ſi qui fortè impotentes ſint, vel legitimè impediti (cauſa per Nos prius cognita, & probata) alios tranſmittant, nec inde, cum venerint, diſcedant, niſi facultate à Nobis, vel Vicario noſtro Generali impetrata, vel Synodo abſoluta, ſub pœnis prædicta omnia, vel earum ſingula contrafacientibus, vel negligentibus, non tàm à Sac. Can. præfixis, quàm Nobis arbitrarijs, & benè viſis. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes litteras per Nos ſignatas fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ac valuis Cathedralis noſtræ, & Collegiatarum omnium, vt omnibus innoteſcant, eandemque vim habeant, ac ſi perſonalitèr ſingulis inthimatæ fuiſſent, affigi, & apponi iuſſimus. Dat. Comi ex Palatio noſtro Epiſcopali die 2. menſis Aprilis anni MDCXXXIII.

L. Epiſcopus Comen.

Carolus Andreas Bellius Secret.

SYnodus Diœceſana pro die vndecima præſentis menſis indicta ad ſupplicationem Cleri Vallistellinæ dignis de cauſis, & præſertim militum per dictam Vallem tranſitu, prorogata fuit ad diem Dominicam, quæ erit decima octaua huius menſis Septembris. Comi die tertia Septembris anni 1633.

Io. Petrus Caſatus Cancell. Epiſcopalis.

LAZARVS
EPISCOPVS COMEN.
CLERO, ET POPVLO.

CVM primùm ad hanc Comeñ Eccleſiam Nobis, licet immeritis, demandatam acceſſimus, nil carius, nil antiquius fuit, quàm muneri noſtro ſatisfacere, ac veſtrum omnium ſaluti inuigilare, moniti grauiſſimo illo Apoſtoli teſtimonio: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & SS. Pontificum, prædeceſſorumq; noſtrorum, ac S. Abundij Patroni, Tutelariſq; noſtri potiſſimum exemplo. Quod ſanè Nos, quantum à temporis anguſtijs, ac vaſtiſſima huius Diœc. amplitudine permiſſum fuit, exequi totis hucuſq; viribus contendimus. Verùm cum inter cæteros ſuſceptos labores, inſtantiaſq; quotidianas, & ſollicitudines omnium Diœc. noſtræ Eccleſiarum, quas Viſitatione perluſtrauimus, vna etiam actio Synodalis à Sanctiſſimo illo viro Myrenſium Epiſcopo Nicolao tantoperè adamata, deſideraretur, hanc quoq; Nos aggredi, & ad exitum perducere, Deo iuuante, ſtuduimus, ea quæ Nos hac tempeſtate opportuna perſpeximus, exequenda præcipientes. En igitur vobis decreta in hoc Synodali conuentu de more promulgata, typis commendata proponimus, vt qua charitate, & paterna ſollicitudine ediximus, & euulgauimus, vos quoque omni, quo poteſtis, & debetis filiali ſtudio, & obedientia excipiatis, ac inuiolatè ſeruetis, quatenus in vobis emanet fructus laborum noſtrorum, & Nobis augeatur de veſtræ ſalutis prouectione ſolatium. Valete.

INDEX MATERIARVM.

De Fidei profeſſione. Pag. 1
De Doctrina Chriſtiana. 2
De Hæreticis. 4
De Verbi Dei prædicatione. 7
De Præbenda Theologali. 9
De Dierum feſtorum cultu, & obſeruantia. 10
De Cathedratico. 11
De Confeſſarijs, & Caſibus reſeruatis. 12
Quæ ad Matrimonium pertinent. 16
De Voto. 18
De Sacris Stationibus. 19
De Proceſſionibus. 21
De Oratione Quadraginta Horarum habenda, & ritu ſeruando. 23
De Magiſtro Cæremoniarum. 25
De Eccleſijs, & diuinis Officijs. 26
De Oratorijs, Capellis, & Altaribus. 30
De Examinatoribus Synodalibus. 31
De Iudicibus Synodalibus. 32
De Teſtibus Synodalibus. 32
De Sindicis Eccleſiarum, piorumque locorum Adminiſtratoribus. 33
De Confraternitatibus, & Scholis Laicorum. 35
De Bonorum Eccleſiaſticorum Inuentario. 37
De Congrua Eleemoſinarum diſtributione. 39
De Celebratione Miſſarum. 40
De Capitulis, & Canonicis. 44
De Parochis, & eorum Parochijs. 47
De Funeribus, & Exequijs. 51
De Monialibus. 55

De

De Quæſtuantibus. 60
De Viſitatoribus Religioſorum. 61
De ijs, qui habitum Religionis dimiſerunt. 63
De Immunitate, & Iuriſdictione Eccleſiaſtica. 65
De Interdictis, & Excommunicatis. 67
De Viſitatoribus Carceratorum. 69
De Archiuio. 71
De Feudis. 75
De Cauſis Eccleſiaſticis. 79
De Foro Epiſcopali. 81
De Fine Synodi, & Decretorum obſeruantia. 86
Status Eccleſiæ Comen. in Viſit. liminum. 89
Summa totius ſtatus. 105
Cathalogus Sanctorum in Diœceſi quieſcen. 107
Dyptica Epiſcoporum Comen. Tabula. 110
Imperatorum, ac Regum Priuilegia Cumanæ Eccl. conceſſa. 112
Bulla Pij V. de Montalium Clauſura. 128
Bulla Gregorij XIII. Erectionis Collegij Comen. 131
Decretũ Sac. Congreg. de Propaganda pro reformatione dicti Collegij. 136
Decretum eiuſdem Congregationis cum iuramenti forma. 137
De Collegio Aſconæ Comen. Diœc. 139
De Collegio Heluetico Mediolani. 140
Conſtitutio Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs. 141
Eiuſdem Gregorij Conſtitutio contra Hæreticos in Italia cõmorantes. 145
Decreta Sac. Congregationis de celebratione Miſſarum. 148
Declarationes ſuper Decretis huiuſmodi. 154
Decretum Congregationis Epiſcoporum, & Regularium circa facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis. 159
Indulgentia pro Synodi celebratione. 160
Inſtructiones pro Viſitatione Diœceſis. 162
Statæ Horæ ad diuina offitia celebranda. 165
Preces pro Oratione Quadraginta Horarum. 167
Preces dicendæ in principio, & fine Congreg. 169

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

NOS Lazarus Caraſinus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Comeñ. & Comes. Ad Omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & S. Abundij Epiſcopi, & Patroni laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua Clerum, populumq; fidei noſtræ concreditum prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, in hac Synodo Diœceſana noſtra prima decernimus, ſtatuimus, & ſancimus.

De fidei profeſſione. Cap. I.

ETSI Eccleſia noſtra Abundiana ſanctiſſimis legibus, atq; inſtitutis abundet ad diſciplinam Eccleſiaſticam propagandam ſaluberrimis, non tam per prædeceſſores noſtros vigilantiſſimos, quam Viſitatione Apoſtolica editis, & roboratis, adeò vt eorum executio magis deſideretur, quam recentiorum decretorum efformationi locus relinquatur. Attamen, quia temporis proceſſu multa inoleſcunt, vel in dies irrepunt, quæ ſpeciali indigent renouatione, & remedio, ideò à primo fundamento, fidei ſcilicet profeſſione, ſuper quo tota ſalutis noſtræ fabrica conſtituitur, incipiendum ducimus; corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Eccleſiæ igitur antiquum morem, & Patrum veſtigia ſequentes, fidei profeſſionem iuxta Trid. Conc. diſpoſitionem, & à Pio IV. præſcriptam formam in præſenti Synodo ab ijs omnibus in Viſitatione Apoſtolica deſcriptis, & recenſitis facieñ., nec non & in alijs impoſterum Synodis celebrandis emittendam decernimus.

Medici quoque, Chirurgi, & Ludi Magiſtri non tantum eandem fidei profeſſionem emittant, verum etiam de obſeruañ. Bulla Pij V. pro inducendis ad confeſſionem infirmis promittant, & iurent, eosq; ad tollendam omnem contumatiã, ſiue incuriam, Parochi intra quorum fines dicti Medici, Chirurgi, & Ludi Magiſtri commorantur, præter publicationem dictæ Bullæ in Calendario appoſitam, ſemel ſaltem quotannis de hac obligatione perſonaliter certiores reddant, & commoneant, prout Synodo Diœceſana ſecunda etiam cautum eſt.

De Doctrina Chriſtiana. Cap. II.

QVÆ de Doctrina Chriſtiana docenda à Sac. Trid. Synodo, & Apoſtolica Viſitatione tradita ſunt, ea omninò præſtent Parochi, memores non tàm proprij muneris, quàm operis Deo acceptiſſimi, & ex quo plurima merces pro tam pio labore reportatur. Quamobrem in tanta re ſedulò incumbant, & ſi in proprijs eorum Eccleſijs eam non haberi, ſed propter populi ſibi concrediti commoditatem alibi, vti loco opportuniori, & accommodatiori fieri contingat (vt in hac noſtra Ciuitate euenit) illò tamen Parochum conuenire, ſuamq; operam præſtare decernimus, nè tanto muneri deſit, ſuiq; obligationi ſatisfaciat. Quòd ſi prætermiſerit, pœna ab eademmet Viſitat. Apoſtolica præſcripta punietur.

In alijs verò noſtræ Diœceſis Eccleſijs iubemus ab Archipræsbyteris, Præpoſitis, ac Vicarijs foraneis inuigilari, vt in ſuis Plebibus hoc debitum à ſingulis Parochis, & Viceparochis diligentèr præſtetur; Quòd ſi neglexerint pœna in eos ab eadem Viſitatione Apoſtolica præſcripta ſingulis vicibus animaduertant.

Cappellani etiam in remotioribus locis, & à Parochiali diſtantibus ab incolis pro eorum commoditate ſuſtentati Doctrinam

Chriſtianam doceant, cum idem impedimentum extet Parochialem adeundi, tàm pro Miſſa audienda, quàm Doctrina Chriſtiana perdiſcenda.

Moneant inſuper Parochi fideles omnes, vt ſciant ſe teneri de neceſſitate ſalutis ad habendam expreſſam articulorum fidei notitiam, non quidem verborum, aut articulorum, ſed ſubſtantiæ ſaltem, vt eis ad vitam æternam aditus minimè præcludatur.

Cum iam ferè in omnibus non tàm huius Ciuitatis, quàm Diæceſis Parochijs inſtitutæ, & canonicè erectæ ſint ſodalitates Doctrinæ Chriſtianæ, curabunt Parochi, vt quæ nondum aliquam elegerint feſtiuitatem in anno, qua omnes Operarij Sacra Communione refecti plenariam ſuorum peccatorum indulgentiam, & remiſſionem à Gregorio XIII. conceſſam conſequi valeant, eam quamprimum præſcribant, ne tam pretioſo ſpirituali theſauro careant; ſicut & nos pro Operarijs Doctrinæ Chriſtianæ Ciuitatis, & ſuburbiorum primam Dominicam menſis Iulij in Eccleſia S. Patris noſtri Abundij, in qua nos ipſi Sacram Euchariſtiam miniſtrabimus, delegimus.

Valdè religioſum eſt defunctos omnes ad ſepulturam concomitari, ſed multò magis commendabile eos, qui dum viuerent proximorum ſaluti diligentèr incubuerunt. Operarij igitur Doctrinæ Chriſtianæ defuncti, qui vt lucernæ ardentes ignorantiæ tenebras depulerunt, & fidelium mentes ad veram fidei cognitionem direxerunt, ab alijs Operarijs, ſeu Confratribus eiuſdem cum luminum etiam ſplendore ad ſepulturam aſſocientur.

Quia ex manuſcripto Codice Viſitationis Apoſtolicæ nuper ab Vrbe accepto compertum eſt ex ſingulari pietate, & liberalitate Comitis Io. Anguiſſolæ olim huius Ciuitatis Gubernatoris, licet laici, & non ciuis, implicatas fuiſſe in hac Communitate libras non-

A 2 gentas

gentas imper. ad rationem librarum ſex cum dimidia pro quolibet centenario, in ſingulos annos, ad vſum Operariorum Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ: Nos, vt tam pium opus, vti commendabile, & æterna memoria dignum denuò in lucem reducatur, præcipimus, vt prædicti annui redditus, non tàm præteriti, quàm futuri, nemini ſoluantur, quam Priori Gen. eiuſdem Doctrinæ Chriſtianæ pro tempore exiſteñ., cuius curæ ſit in vſum eiuſdem Scholæ, iuxtà diſpoſitionem dicti Comitis, perpetuò erogare.

De Hæreticis. Cap. III.

QVæ collachrymantibus oculis, & non ſine graui animi amaritudine vir ille religioſiſſimus, & Conciuis noſter Io. Franciſcus Bonhomius Vercellarum Epiſcopus, & totius Diœceſis noſtræ Viſitator Apoſtolicus in Vallistellinæ, & Clauenæ ditionibus perſpexit, dum tunc temporis hæreticæ prauitatis lues totam eam regionem miſerandum in modum exagitabat, & tantarum numerus animarum varijs æſtuabat languoribus, adeò vt ijs opportunum medicamentum, & remedium præberi occaſio non pateretur, hæc certè nos collachrymantibus pariter oculis, ſed præ animi tenero affectu, ac iubilo recolimus, dum vineam hanc ſummo Dei auxilio, & miſericordia expurgatam conſpicimus. Quam & talem, vt pro noſtris viribus, non tantum cuſtodiamus, verum etiam huic morbo omnem penitus aditum impoſterum occludamus, viſum optimè fuit hæc condere, & edicere inter cætera.

Parochi, & animarum Rectores diligentèr inuigilent, nè Hæretici, quibus ex permiſſu fas eſt certo tempore pro ſuis rebus agendis in ſupraſcriptas ditiones ſeſe conferre, diutius immorētur, quam fieri conſueuit, idq; non niſi præuijs præſentatione, & licentia in ſcriptis danda. Dum autem ibidem commorantur, ijdem

Parochi, & Rectores diligentèr obſeruent, ne conuenticula inter ſe habeant, ne libros hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos deferant, ac alijs legendos tradant, & diſtribuant, ac ne alia moliantur, per quæ praui mores, & errores denuò in præiuditium Catholicæ Religionis introducantur. In alijs autem locis huius Diœceſis, vbi ſupraſcripta permiſſio non viget, Parochi ſedulò animaduertant, an in eorum Parochijs quis reperiatur prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine ſuſpectus; Quinimmò populum moneant, vt ſi quos tales nouerint, ſtatim deferant. Obſeruentq; etiam eos, qui ex hæreticorum finibus, vel hæreſi ſuſpectorum veniunt, præſertimq; Vltramontanos milites in Hibernijs, aut huius ſtatus præſidijs degentes, eorumq; actiones odorentur, & ſi qua ſuſpitio aderit, nos, aut S. Inquiſitionis officium certiores reddant.

Cum autem occaſione præteritæ reuolutionis, quamplurimi à Fide Catholica aberrantes ad S. Matris Eccleſiæ gremium redierint, vt in ea, quam maximè proficiant, ijdem Parochi, & Rectores curent, vt concionibus; & Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ interſint. Moneantur ſedulò ad Miſſam diebus ſingulis audiendã, Sacramenta frequentanda, ad venerationem Eccleſiarum, & Sanctorum, ad Salutationem Angelicam, quando eius per campanam datur ſignum, piè recitandam, ad pietatem ergà Defunctos in Purgatorio exiſtentes, ad fugienda occulta colloquia cum hæreticis ad fidem ſpectantia, & libros apud ſe de hæreſi ſuſpectos domi ſuæ non retinendos.

Vt autem de eorum vera ad Fidem Catholicam conuerſione aliqua certa ſigna habeantur, Parochi aduertant, quomodò in Eccleſijs deuotè ſe gerant, & ex eorum collocutionibus quid ſentiant de S. Matris Eccleſiæ auctoritate; an Romano Pontifici, Prælatis, & Eccleſiaſticis perſonis detrahant, & maledicant, quæ

exhor-

exhortatione infirmos mortis tempore conſolentur, eosq́; præſertim, qui de eorum ſecta fuerunt, & an ſecretè cum illis tunc temporis tractent; an matrimonium facilius cum recentèr ad fidem conuerſis, quam cum antiquioribus contrahant; an cum hæreticis ſanguine, vel arcta amicitia iunctis, palam, ſed ſeorsũ tractent, eorumue conſortium fugiant, & an alia denique præſtent, quæ ſuſpicandi potius occaſionem, quam veram firmitatem præſeferre poſſint. De quibus omnibus nos quam ſæpiſſimè certiores reddant.

Eos porrò, qui verè in Catholica, & Apoſtolica Fide fundati exiſtunt hortamur, & obſecramus in Domino, vt eidem gratias agentes pro talibus collatis ſibi donis eorum auctoritate, & doctrina, non tam verbo, quam exemplo cæteros adiuuare contendant, certi, quod ſicut in hæretica prauitate valere potuerunt, eo magis ad conuerſionem, ſeu confirmationem aliorum proficient; fieri enim poteſt, vt nunc vera docentes maiora operentur, quam tunc falſa nuntiantes.

Verum cum Peſclauij Comitatus hæretica ſit adhuc lue infectus, ibidemq́; permixtim viuant catholici, & hæretici, iſtiq́; latrantis Prædiconis vocem audiant, nosq́; qui regionem illam primi (cum nunquam viſitatam fuiſſe ab anteceſſoribus noſtris compererimus) ad Dei gloriam perluſtrauimus, nullumq́; remedium tanto morbo applicare potuerimus, Synodum hanc noſtrã per viſcera miſericordiæ Dei noſtri enixè præcamur, & obſecramus, vt eundem exoret, quàtenus eorum animas diabolica fraude deceptas eruat ab erroribus vniuerſis, & omni hæretica prauitate depoſita ad Sanctam Matrem Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam reuocare dignetur.

Magiſtratus etiam omnes monemus, & hortamur in Domino, vt & ipſi ſuam operam, & auxilium deſiderari nõ patiantur,

cum

cum occurrerit, commercium, & conſuetudinem hæreticorum fidelibus peſtiferam, & pernicioſiſſimam pro ſua pietate, & religionis ſtudio è ſuis locis amouendo, & tollendo, ne eiuſmodi labes inficiendo irrepat, & limites ſuos egrediatur; æternam à Domino remunerationem accepturi.

De Verbi Dei prædicatione. Cap. IV.

QVoniam verò prædicationis munus tam neceſſarium eſt Reipublicæ Chriſtianæ, Concionatores verbi Dei per Ieſu Chriſti ſanguinem obteſtamur, vt meminerint ſe de grauiſſimis agere, ſcilicet de Deo, re omnium maxima, de ſalute ipſa, de vita, & morte animæ, ac de æternitate. Quamobrem ad id deligendi, caueant, ſi Regulares ſint, ne in proprijs Eccleſijs id munus obeant, niſi prius benedictione à nobis petita, & obtenta; in alijs verò nullo modo id præſtent, niſi facultate pariter à nobis impetrata, ſine qua ſciant in ſupraſcriptis caſibus per fæl. record. Gregorij XV. conſtitutionem ſubijci Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati auctoritati puniendi, vel cenſuris coercendi.

Quum autem Religioſi ſeminandi verbi Dei cauſa, ad aliquẽ locum præſertim quadrageſimali tempore, de noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia peruenerint, ſtatim ſe primum Vicario foraneo Plebis, deinde Rectori, vel Curato illius loci ſe præſentent, litteras ſuæ deputationis exhibendo, ad hoc vt ab eodem Vicario foraneo recognoſcantur, & à Parocho intelligant, quæ potiſſimum vitia in eius Parochia vigeant, & cui nam rei homines inibi magis propenſi ſint, vt cognito morbo congrua applicetur medicina, ne verbum Dei, vt ait Scriptura, vacuum redeat, & fructus intentus non reportetur. Sacerdotes verò omnes ad quos declinare contigerit Prædicatores, eos charitatiuè excipiant, & benignè pertra-

ctent,

ctent, vtpotè à Domino ad euangelizandum miſſos, eiuſq; perſonam præſeferentes.

Et quia interdum contingit zizaniæ ſeminatoris aſtutia Concionatores aliquo rancore, & æmulatione commotos ad ſe ſe inuicem carpendum pertrahi, non ſine magno populorum ſcandalo, & exemplo pernitioſo. Ideò conſiderantes, quod huiuſmodi vitiũ ſit radicitus extirpandum, præſenti ſtatuto ſeriò iubemus, ne quis concionatorum in Eccleſijs, & Monaſterijs Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ, ſiue ſæcularis, ſiue regularis exiſtat in alium quemcunq; Concionatorem inuehat, aut quid aliud ex ſuggeſtu proferre præſumat, quo is irritari, & ob vindictam ad mutua conuitia, & iurgia prouocari, aut populus offendi ex tali controuerſia poſſit; ſed ſi quis in aliquo læſus ab alio fuerit, vel aliquid nota dignum in concione depræhenderit, nobis, vel Vicario noſtro Generali deferat. Secus facientes grauiſſimè punientur.

Caueant Concionatores ne verbum Dei venale faciant, ſed ea eleæmoſina, ac victu contenti ſint, quæ locorum conſuetudine præſtari ſolet, vel à nobis præſcribi continget.

Tranſacto demùm quadrageſimali tempore, qui in Diœceſi noſtra concionem habuerint, quaſi villicationis ſuæ rationem reddituri, coram nobis, vel Vicario noſtro Generali ſe præſentent, vt de reportato fructu nos edoceant, vel de vitijs (ſi quæ ſupererint) acriori remedio indigentibus certiores reddant, vt ijsdem conſulatur. Quod ſi præſtare neglexerint, iuſto ceſſante impedimento, ſciant ſibi impoſterum in Diœceſi noſtra prædicandi aditum interdictum.

Si qua Communitas Prædicatores à nobis miſſos in quadrageſimali, vel alio tempore (quod à nobis ſine Communitatis electione miſſi ſint) malè tractauerit, vel non receperit, aut conſue-

tam

tam elemoſinam non erogauerit, tamdiù eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, quandiù nobis viſum fuerit, etiam poſt obedientiam, & ſatisfactionem; ſi verò particulares fuerint, excommunicati ſint eo ipſo.

De præbenda Theologali. Cap. V.

OPtimè nouit Sac. Trid. Synodus quanti fructus, atq; vtilitatis foret Sacræ Scripturæ, & caſuum conſcientiæ explanatio, ideò per generale decretum cenſuit in Cathedralibus, & Collegiatis inſignioribus præbendam Theologalem ab Epiſcopis erigendam, cui Nos innixi, cùm iàm in Cathedrali noſtra inſtituta reperiretur, in Oppido Tirani, dum Viſitationis munus obiremus, alteram ereximus, immò vt vberior emanet fructus, alias quoque in locis, & honorificis Eccleſijs Diœc. noſtræ inſtituere decreuimus. Quamobrem hac noſtra Synodali conſtitutione in SS. Geruaſij, & Prothaſij Sondrij Valliſtellinæ, SS. Geruaſij, & Prothaſij Burmij, S. Laurentij Lugani, S. Laurentij Clauenæ, S. Laurentij ſimiliter Vallis Cuuij, SS. Petri, & Pauli Bellinzonæ, & S. Victoris Locarni, Collegiatis Eccleſijs per deputationem, ſeu aſſignationem præbendæ Canonicatus primò, non tamen per reſſignationem in dictis reſpectiuè Eccleſijs vacaturæ, cuiq; aliud onus incompatibile iniunctum non ſit, quam ex nunc prout ex tunc factam intelligimus, & declaramus auctoritate noſtra ordinaria, & etiam à dicto Concilio attributa, præbendam Theologalem erigimus, & inſtituimus, quam non niſi Doctori Theologo, vel aliter à Nobis probato, & in Subdiaconatus ordine ſaltē conſtituto, qui aptus, & idoneus Sacrarū Scripturarum, & Caſuum conſcientiæ lectioni cenſeatur, conferri volumus. Alitèr facta collatio, vel adepta poſſeſſio minimè ſuffragetur.

Horum onus, & munus erit Sacram Scripturam, & Caſus conſcientiæ exponere, iuxtà materiam, diem, & locum à Nobis, & Succeſſoribus noſtris præſcribeñ., aliaque præſtare, quæ ad dictum officium pertinent. Quod ſi neglexerint poſt trinam monitionem, & in contumatia perſtiterint, per pœnas, & mulctas compelli, ac demum ipſo Canonicatu, & præbenda priuari poſſint.

De dierum feſtorum cultu, & obſeruantia. Cap. VI.

FEſtorum dierum obſeruantiam à Deo, non tàm ad eius ſanctificationem, quàm animarum vtilitatem inſtitutam fore, omnibus innoteſcit, ſed non ab omnibus debito cultu, & pietate celebrari. Idq; occaſionem dedit, vltrà ea, quæ hac de re per Viſitationem Apoſtolicam, & Diæceſanam Synodum abundantiſſimè tradita ſunt, peculiare etiam Edictum prædeceſſoribus noſtris condendi. Quare nè ea omnia repetamus, hic tantum præmiſſorum executionem toto corde anhelantes, præcipimus Vicarijs foraneis noſtris, nec non & Archipræsbyteris, ac Plebium Capitibus, vt eam omni animi contentione, & ſtudio ipſi quoque procurent: Quod vt plenius fiat, eis omnimodam in hac re facultatem, & acutoritatem noſtram impartimur.

Dies feſti ex præcepto S. R. E. ab omnibus obſeruandi.

Dies Dominici omnes, Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, Circumciſio, Epiphania, Reſurrectio cum diebus ſequentibus, Aſcenſio, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus, Feſtum

Sanctiſſimæ

Sanctiſſimæ Trinitatis, Solemnitas Corporis Chriſti, Purificatio, Annuntiatio, Aſſumptio, & Natiuitas B. Mariæ Virginis, Natiuitas S. Io. Baptiſtæ, Feſta duodecim Apoſtolorum, Inuentio S. Crucis, S. Stephani Prothomart., Sancti Laurentij Mart. Feſtum omnium Sanctorum, Feſta SS. Innocentium, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, S. Martini Epiſcopi, & Conf. S. Syluestri Papæ, & Conf. S. Ioſeph, & S. Annæ ex præcepto Gregorij XV.

Feſta de præcepto Synodi Diœceſanæ Secundæ.

Sancti Abundij Epiſcopi, & Confeſſ. Patroni 2. Aprilis, Dedicationis Baſilicæ Cathedralis 13. Maij in Ciuitate, & Diœceſi.

Feſta de conſuetudine obſeruanda.

S. Antonij Abb., S. Marci Euangeliſtæ, S. Barnabæ Apoſtoli, & Conceptionis B. M. V.

Feſta ex deuotione obſeruanda.

S. Rochi Confeſſ. & S. Luciæ Virg. & Mart. de mane in Ciuitate tantùm.

De Cathedratico, Cap. VII.

VEtus inſtitutum, & Canonum iure comprobatum Cathedraticum, quo per Eccleſias Parochiales, & Baptiſmales, Cathedralis Baſilica tanquam mater à filiabus recognoſcitur, & honoratur, in eo conſiſtit, quod à ſingulis Parochijs, & Baptiſmalibus Eccleſijs ſolidi duo in Diœceſana Synodo Epiſcopo perſoluantur. Nos porrò, qui ab vltima celebrata Synodo vſque ad hanc noſtram dictum Cathedraticum quotannis debitum exi-

gere poſſemus, vt tamen liberalitate, & benignitate erga Parochos Vrbis, & Diœceſis noſtræ vtamur, pro hac vice tantum, & ſine præiudicio iurium Menſæ noſtræ Epiſcopalis dictum Cathedraticum retroactorum annorum gratioſè remittimus, & condonamus.

De Confeſſarijs, & Caſibus reſeruatis, Cap. VIII.

SAcramentum Pœnitentiæ, in quo, tanquam iudiciali foro, Sacerdos Iudex, & pœnitens reus exiſtunt, miniſtrandum certè neceſſarium eſt debito modo, & qua decet, grauitate. Quamobrem vltrà ea, quæ Apoſtolica Viſitatione, & Synodalibus Conſtitutionibus tradita ſunt, hæc iniungenda decernimus, vt videlicet Sacramentum Pœnitentiæ à Sacerdotibus Sæcularibus impoſterum non adminiſtretur in domibus virorum, vel mulierum, cuiuslibet qualitatis, vel conditionis exiſtant, (ſecluſo infirmitatis caſu) ſed in Eccleſijs, & in Confeſſionalibus ad formam confectis, & in aperto, & conſpicuo loco, non autem in aliqua Cappella collocatis, idque fiat cum ſuper pelliceo, & Stola, à Regularibus verò, cum Stola, niſi ex rationabili cauſa iudicio Confeſſariorum aliquos in Sacrario, vel alio decenti loco audire quandoque contingat. Contrafacientes non ſolum ſuſpenſionis à Confeſſionibus audiendis, verùm etiam alijs pœnis Nobis arbitrarijs mulctentur. Et nè quis citò manus imponens alicuius cenſeatur communicare peccatis, caueant Sacerdotes nè ante debitam, vel famæ, vel pecuniæ ſatisfactionem, vbi reſtituendi facultas fuerit, aliquem abſoluant, præcipuè vbi

Ex decr. Sac. Viſitat. Apo. Romę die 10. Iulij 1625.

pœnitens

pœnitens datum in ſuperiori confeſſione de ſatisfaciendo præceptum neglexerit.

Nullus Confeßariorum peccatorem publicum abſoluat, ſed ipſum ad Nos, vel Vicarium noſtrum Gener. remittat abſoluendum, vel puniendum, niſi immineat mortis periculum, ſecus abſolutio impertita nullius ſit roboris, ac momenti.

Iidem Confeſſarij, & Parochi hortentur Chriſti Fideles non tàm graui infirmitate detentos, quàm alios volentes teſtamenta condere, vel alia ad pias cauſas legare, vt non niſi confeſſi, vel ſaltem contriti illa conficiant, nè ſi aliquo mortali crimine ſint innodati, meritum dictorum legatorum amittant. Quod vt melius ſeruetur, ſatagant Notarij, vt dicta teſtamenta, & legata ſcripto non mandent, niſi prius de hoc teſtatores commonefecerint.

Quia interdum contingit, vt vbi non adeſt Confeſſariorum copia, ibi pudore, vel metu pœnitentes proprio Parocho peccata, vel reticere, vel non integrè confiteri audeant, ideò, vt huic rei conſulamus, Vicarijs foraneis noſtris permittimus, vt bis ſaltem quotannis Confeſſarium extraordinarium, ſiue eiuſdem, ſiue alterius Plebis in ſingulis ſui Vicariatus Parochijs delegent, vel Parochos in aliam Parochiam viciſſim commutandos tranſmittant (qui interim in ædibus Parochialibus degant, & alantur) vt maioris confidentiæ anſa pœnitentibus præbeatur, & vberior animarum fructus reportetur. Interim verò ijsdem Curatis, ſeu Confeßarijs Sacramenta ibidem miniſtrandi, atq; alia paſtoralia officia exercendi facultatem concedimus, & impartimur.

Meminerint Confeſſarij omnes quicunque ſint grauiſſimæ illius Conſtitutionis fœl. record. Gregorij XV. contra ſollicitantes

in confeſſionibus, illudq́; præ oculis habeant, ne quid in confeſſione committatur turpe, vel inhoneſtum. Vicariuſq; noſter Gener. diligentèr curet in approbandis Confeſſarijs, vt antedictum decretum ad præſcriptum Sac. Congr. omnibus legendum proponatur, nè quis ignorantiæ prætextu excuſationem valeat allegare.

Ad euitandam etiam omnis ſimoniæ labem, vel auaritiæ ſuſpitionem, ijdem Confeſſarij tàm ſæculares, quàm regulares caueant, ne quicquam à Pœnitentibus in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione recipiant, neue capſulas ad hunc effectum propè confeſſionale teneant. Alitèr ſciant ſe condigna pœna arbitratu noſtro plectendos.

Caſus autem, quos ex Conc. Trid. decreto pro huius Eccleſiæ Comeñ. recta gubernatione nobis reſſeruatos eſſe volumus, præter eos, qui vel Conciliorum, vel Canonum, Conſtitutionumq́; Apoſtolicarum iure Epiſcopis reſſeruantur, præſenti Tabella promulgamus, & denuntiamus, hancq́; eorum promulgationem tamdiù vim habere decernimus, quo ad altera fiet. Admonentes omnes, & ſingulos Confeſſarios, tàm ſæculares, quàm regulares, nè quemquam ſine facultate noſtra abſoluant, etiam prætextu quarumcunq́; Aggregationum, aut priuilegiorum à Sede Apoſtolica poſt Conc. Trid. confirmatorum, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs pœnis contẽtis in Decreto à Sacr. Congr. iuſſu fæl. recor. Clementis Papæ VIII. edito, & publicato, ac alio eiuſdem Congr. ſub die 17. Nouembris 1628., quorum exemplar omnes Confeſſarios apud ſe habere volumus, & iubemus, vt non ſolum ab horum nobis reſſeruatorum caſuum, ſed etiam ab eorum, qui Sedi Apoſtolicæ reſſeruati ſunt, abſolutione abſtinere poſſint, & debeant.

Monemus præterea dictos omnes Confeſſarios, vt in imponenda

nenda pro peccatis publicis pœnitentia publica, iuxta diſpoſitionem Sacr. Conc. Trid. prudentèr agant, & pœnitentes pro eorum iudicio ante ipſorum confeſſionem, ſaltem in Paſchate rudimenta fidei orationem, ſcilicet Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Decalogum, ac ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, ipſis audientibus recitare iubeant, & ſi illa non rectè ſciuerint, reijciant, donec didicerint.

Caſus reſſeruati.

IN *primis præcipimus omnibus Confeſſarijs ne culpæ ſuæ ſocios, aut participes abſoluant ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, cuius abſolutionem nobis reſſeruamus, & ſi exempti fuerint, ſub pœna priuationis facultatis confeſſionis audiendæ etiam ipſo facto incurrendæ, & abſolutio nulla ſit.*

2. *Sollicitantes ad turpia pœnitentes in actu confeſſionis.*
3. *Blaſphemiam hæreticalem proferentes.*
4. *Dæmones ad veneficia expreßè inuocantes, vel ad ea perpetranda Sacramentis abutentes.*
5. *In cognatione ſpirituali, vel carnali, aut affinitate in primò, vel ſecundò gradu inceſtum committentes.*
6. *Cum brutis coeuntes.*
7. *Proditoriè, vel ex inſidijs homicidium committentes, vel abortum foëtus animati effectu ſecuto, procurantes.*
8. *Solutionem legatorum Eccleſijs, aut locis pijs debitam longius biennio, Celebrationem verò mißarum, aut anniuerſariorum, aliorumue onerum ex legato, ſeu ex alia quacunque beneficiali, vel mercenaria obligatione ſatisfactionem vltrà annum differentes.*

9. Inſtrumenta ad Eccleſias, & loca pia Eccleſiaſtica pertinentia celantes, aut retinentes, vel Notarij legata ad pias cauſas iam debita non denuntiantes termino duorum menſium.

10. In Iudicio falſum teſtimonium deponentes.

11. Sponſi ſe inuicem carnalitèr cognoſcentes ante matrimonium per verba de præſenti celebratum.

12. Qui Moniales violauerit, vel eorum pudicitiam facto, vel verbis tentauerit.

13. Monialium clauſuram violantes, licet non ad malum finem, & Eccleſiaſticas perſonas ſuſpenſionem in edicto impoſitam incurrentes ob collocutionem cum ipſis ſine facultate in ſcriptis à Nobis obtenta.

Ex Viſit. Ap.

14. Quæcunq; mulieres, & viri, qui in lecto iacentes infantes anno minores ſine cunis retinuerint, vel exceperint.

15. Mulier ingrediens Eccleſias capite non velato.

Quæ ad Matrimonium pertinent. Cap. IX.

NUper emanatum decretum à Supremo Sanctæ Inquiſitionis Officio de aſſumendis per Curiam Epiſcopalem tantummodò informationibus, ſuper eo, quod matrimonium contrahentes ſint ſoluti, aut ſuper aliquo impedimento remouendo, vel probando, aut ſuper obitu alterius Coniugis, antequam ad ſecunda vota deueniatur, diſtrictè per Vicarium, & Officiales Curiæ noſtræ ſeruetur, neque teſtes admittantur, qui non ſint ſaltem recipienti Notario noti, aut ſi ignoti, niſi prius de fide, & legalitate teſtimoniales ſuorum Ordinariorum litteras reportarint.

Cum in aliquibus noſtræ Diœceſis locis nondum extincta ſit

hæreticæ prauitatis lues, & plurimi etiam Catholici cum hæreticis inter ſeſe conſanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniuncti reperiantur; Catholicos noſtros Diœceſanos vehementèr hortamur in Domino, nè commodum temporale animarum ſaluti præferentes, cum hæreticis matrimonia impoſterum ineant, neue parentes, filios, filiasue ad loca hæretica educañ., vel in matrimonium iungeñ. tranſmittant, nè diuinam, & humanam vltionem prouocent.

Cum autem cauſæ omnes matrimoniales, & ab eis dependentes à Nobis, vel Vicario noſtro Gener. ſint tantummodò cognoſcendæ, & decidendæ; ideò nullus, ſiuè Eccleſiaſticus, ſiuè Sæcularis cuiuſcunq; conditionis, dignitatis, aut gradus exiſtat, de ſponſalibus, tàm de futuro, quàm de præſenti, de impedimentis quibuſcunq; de diuortijs, & alijs ab ijſdem dependeñ. annexis, & connexis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna cognoſcere, iudicare, & definire præſumat, nec non & tranſactiones, pactiones, & compoſitiones in huiuſmodi cauſis matrimonialibus, tanquam prohibitas, & à iure damnatas, & rem ſpiritualem tangentes ſub pœna ſupraſcripta interponere, ſed ab ijs, vti noſtro tantum, & Vicarij noſtri Gener. iudicio, & cognitioni reſſeruatis, omninò abſtinere iubemus. Tri. ſeſſ. 24. c. 12. c. conſtitutus. c. ſuper. c. præterea c. final. de trāſactionib.

Quod ſi Parochi, cæteriq; Eccleſiarum Rectores inter Parochianos ſuos ratione contracti, vel contrahendi matrimonij differentiam, ius, & actionem, ſeu impedimentum aliquod eſſe cognouerint, partes admoneant, & ſi opus ſit, eis excluſionem ab ingreſſu Eccleſiæ comminentur, ſi huiuſmodi cauſas ad Nos, vel Vicarium noſtrum Gener. cognoſcendas non detulerint. Quod ſi in eis ſe immiſcuerint, vel aliquid definiuerint, aut declarauerint, quod à multis factum fuiſſe cognouimus,

pratèr

præter excommunicationis pœnam ſupraſcriptam, alias etiam nobis arbitrarias iniungemus.

Parochi ijdem matrimonialibus conuiuijs, commeſſationibus, vel alijs ſpectaculis nè interſint; hoc enim indecens eſt & religioſo ſtatui, & tanti Sacramenti dignitati.

De Voto. Cap. X.

QVemadmodum in aduerſis rebus, vel periculis ad Dei Opt. Max. auxilij gratiam confugere adhibitis votis, tùm filialis confidentiæ, tùm ſapientiæ magnæ argumentum eſt non leue, ità beneficiorum à Deo acceptorum perennem retinere memoriam, & vota perſoluere, tùm grati animi, tùm non violatæ religionis teſtimonium eſt ampliſſimum. Quare ſicut optimè effectum eſt, vt tempore proximè illius præteritæ luis, quæ non tàm oppida vicina, quàm finitima totius ferè Diæceſis, verùm etiam hanc Ciuitatem lethalitèr inuaſerat, & cuius tanta graſſatio fuit, vt centum ſexaginta Sacerdotum ſæcularium, Regularium centum, & amplius, Monialium ſexaginta, & quinquaginta millia totius Diæceſis hominum miſerandum in modum nobis de medio ſuſtulerit, per nobiles huius Ciuitatis Decuriones, totius Communitas nomine, coram nobis publicè intrà Miſſarum ſolemnia de anno 1630. nuper elapſo, in Cathedrali noſtra, vt potè beneficij memores, quod Dei ſola miſericordia, & Sancti noſtri titularis, & Patroni Abundij interceſſione, cuius inuocationem Ciuitas iſta ad calamitates depellendas pia ſemper veneratione adhibuit, nullis noſtris ſuffragantibus meritis, è tam truculentæ mortis faucibus erepti, atq; à peſtifero morbo præſeruati extiterimus, votum emiſſum ſit ad centum annorum numerum duraturum, proceſſionem ad Eccleſiam S. Abundij feria tertia poſt

Domi-

Dominicam in Albis cum cereorum oblatione ſolemnitèr habendi; ità & totis viribus Clerus, populusq; Ciuitatis curare debet illud debito concurſu, & pietate perſoluere, ac deuota mentis ratione tam ſingulare beneficium recolere, nè potius Diuina Maieſtas ad nobis iuſtè ſuccenſendum, quàm ad miſericordiam impertiendam prouocetur, vel ad nouam (quod auertat à nobis) vltionem irritetur.

Quam ob cauſam ne tàm ſingularis beneficij, quod S. Patrono noſtro intercedente, accepiſſe profitemur, vllo vnquam tempore obſcuretur, & euaneſcat memoria, pro noſtri Paſtoralis officij debita ſollicitudine, illud denuò in hac Synodo Diæceſana noſtra euulgata, & vt perpetuum in conſpectu omnium extet monumentum in Calendario apponi decreuimus.

Et quia in Pagis, & Oppidis Diæceſis noſtræ eandem ob cauſam fortaſſe vota ſimilia per incolas, atq; homines reperientur nuncupata, vel perpetua, vel ad tempus, curent Parochi omnes, vt diligentèr obſeruentur, & deuotè perſoluantur, & tanti beneficij memoria ſcripto, ſeu lapidi commendetur. Verùm ſecluſo tanti morbi periculo, nulli Oppidorum, vel Terrarum incolis Diæc. noſtræ ſubiectis publicum votum emittere liceat, quin prius ad Nos voti cauſa deferatur, & à Nobis per opportunam licentiam approbetur. Quod ſi vrgens neceſſitas, & temporis anguſtia pati non ſinet Nos perſonaliter, vel per litteras adire, cùm primùm tamen commodè fieri poterit, debita à nobis confirmatio reportetur.

De Sacris Stationibus. Cap. XI.

S*Acrarum Stationum conſuetudo à primis Sanctæ Eccleſiæ temporibus ortum habuit, cum eius Chriſti Fideles, quaſi*

indefeſſi

indefeſſi in benè operando milites, modò ad vnam, modò aliam confugerent Eccleſiam, vt ibi Sacra Vota ferrent, & ſupplicationes ad Deum profuſas effunderent, itaut interdum non tantum horis, ſed & diebus, & noctibus ipſis integris in tàm pio opere commorarentur. Quamobrem effectum eſt, vt quamplurimi Pontifices ſummi hoc commendauerint, ac tam pium inſtitutum ſuſceperint ſingulis Romanis Eccleſijs ſtationes ſtatis diebus præſcribendo; quod certè cognouimus Magni illius Gregorij ſtudio, atq; opera demum eſſe ſancitum, & in hæc vſq; tempora obſeruatum. Cum autem in Ciuitate, & Diæceſi noſtra harum Stationum plurimæ reperiantur, quò Eccleſiarum Capitula accedere debent ad Veſperas, ſeu Miſſas decantandas, vel alia Diuina Officia obeunda, præcipimus, vt sẽper Crux præuia deferatur, & Collegiatim, ac Capitulariter omnes, & ſinguli (prout à Capit. Cathedralis noſtræ obſeruatur) conueniant cũ ſuis inſignibus, inde eodem ordine ad Eccleſiam, vndè diſceſſerint, reuertantur.

Quod ſi Eccleſiæ in Diæceſi, vbi Stationes habendæ erunt, à Collegiata remotiores exiſtant, quò ordine ſeruato cõmodè procedi non poſſit, tunc ad proximiorem Eccleſiam, vt idẽ Gregorius præſcripſit, Canonici ſinguli conueniant, vt proceſſionalitèr, & cum populo, ea qua decet pietate, & reuerentia capitularitèr ad ſtationalem Eccleſiam incedant.

Cùm autem plurimæ Stationes à Capitulis Ciuitatis, & Diæceſis noſtræ, non capitularitèr, ſed ab aliquo tantùm Archipræſbytero, Præpoſito, ſeù Canonico obeantur, congruum eſt, vt eo modo, quo decet, ac melius fieri poſſit, ipſæ quoq; celebrentur, abuſusq;, & ſcandala tollantur, quæ, etſi plurima, conſultò tamen ea prætérimus. Propterea edicimus, vt Canonicus, aliuſue ad Stationes prædictas delegatus illuc accedat, non tantùm in habitu talari,

lari, ſed etiam ordinario chorali, vt alias obſeruatum fuit, & Nos à pijs viris accepimus, vt ſi ipſe Miſſam, aut Veſperas non celebrauerit, in Choro tamen cum alijs omni pietatis conſenſione Deo ſtatas preces canat. Quod ſi neglexerit, refectione, oblatione, aliouè cenſu præſtari conſueto priuatus ſtatim exiſtat, & nihilominus id exequendo tunc temporis in Cathedrali, vel Collegiata, vti abſens à punctatore reputetur, diſtributionesq; illius diei amittat, vt Sac. Congr. Conc. Trid. interpratando propoſitæ pro Canonicis Eccleſiæ noſtræ reſcripſit.

De Proceſſionibus. Cap. XII.

Nihil propè tàm ſanctum eſt, quòd ſæcularium hominum vanitas non trahat in abuſum. Hocq; magno cum mærore conſpicimus in Proceſſionibus, vt plurimum, accidere; cum enim ad iram Dei placandam inſtitutæ ſint, ad concitandam interdum occaſionem præbent; quod planè ſerpens ille antiquus, ac humani generis hoſtis abundè ſuppeditat, dum rixas, iurgia, & alia id generis in deferendis Crucibus fouet, & in commeſſationibus, & cachinnis promiſcuo hominum ſexu vniuerſos implicari ſtudet.

Quamobrem, vt impoſterum iurgia tollantur, præcipimus, & mandamus, quod in ijs Proceſſionibus, in quibus diuerſorum locorum multitudo de more conuenit ad Collegiatam, ſeu Parochialem Eccleſiam, vbi in vnum cogitur frequentia, ordine ſeruato, & Cruce prælata ſe conferat. Verùm cum Proceſſio tota incohanda erit, non ſingulas, ſed vnam tantum Crucem illius videlicet Collegiatæ, Parochialis, vel Matricis præferendam declaramus, ſub cuius vexillo omnes ordinatè incedant, & ſimiliter, vnde diſceſſerint, reuertantur; Qua abſoluta fas ſit Cruces

iiſdem reaſſumere, & ad ſua loca pari pietate, & deuotione redire.

Proceſſiones inſuper, quæ magno itinere diſtant à loco, vndè diſceditur, & mulieres ad ſua loca redire eadem die nequaquam ſinunt; eas pœnitus tollimus, & abrogamus.

Vt verò reliquæ, quàm maxima deuotione, & ordine conficiantur, Crux per Clericum ſi fieri poſſit, vel ſaltem laicum talari veſte, & ſuperpelliceo indutum, grauitèr, decorè, & religiosè incedentem, vt decorum tanti vexilli ſeruetur, quod fidelibus præfert, continuò deferatur. Præsbyteri bini æquè congrua intercapedine, videlicet decem pedum ſpatio ſaltem interpoſito procedant, & tàm bene compoſiti, chirothecasq;, & flores præ manibus non geſtantes ad Synod. Diœc. II. præſcriptum, vt exemplo ſuo excitetur etiam populus ad huiuſmodi inceſſum. Quod vt congruentius fiat, deputentur ordinatores, quotquot neceſſarij erunt, qui lateri proceſſionis aſſiſtant, & ordinem ab omnibus ſeruari curent neceſſarium, & conuenientem. Et vbi contigerit proceſſiones tranſire campanæ interim feſtiuo ſono pulſentur.

Quotieſcunq; etiam generales proceſſiones, ſeù rogationes fient, tàm in Ciuitate, quàm in Diœceſi, omnes regulares, qui de iure intereſſe debent, vocati conueniant, pœna à non obtemperantibus à Viſitatione Apoſtolica præſcripta ſingulis vicibus incurrenda, & per Archipræsbyteros, Præpoſitos, ſeù Curatos in Diœc. nullo alio præuio mandato noſtro executioni mandañ., & eius loci Eccleſiæ applicañ. Si qui verò ſeſe priuilegio exemptos putauerint, Nobis, vel Vicario noſtro Geñ. intra duos menſes priuilegium exhibeant, vt de eius validitate cognoſci, & decerni poſſit.

De

De Oratione Quadraginta horarum habenda, & ritu ſeruando. Cap. XIII.

VAriȷ licet ſint preces Deo fundendi modi, illi tamen inprimis commendati, & magis proficui, communes, cum, quod vnius poſtulatione non obtinetur, multorum deprecatione Deus flectatur, & ignoſcat. Hocque probatum habemus, non tàm Sanctorum Patrum, quàm Eccleſiæ Sācto Spiritu congregatæ teſtimonio. Quamobrem per ipſam laudabilitèr inſtituta fuit Quadraginta horarum Oratio, qua Sacer numerus rerum omnium à Domino conditarum recoleretur, & Nobis amplior pateret aditus ad veniam peccatorum obtinendam, & miſericordiam implorandam. Ad quod facilius obtinendum cùm in multis huius noſtræ Diœceſis oppidis, & pagis per Verbi Dei ſtrenuos Concionatores huiuſmodi oratio habeatur, hunc etiam modum peculiarem præſcribere Nobis bene viſum fuit.

Quadraginta igitur horarum Oratio, vt debito cultu, & deuotione celebretur, nō habeatur niſi in Eccleſiȷs, ȷsq; inſignibus, & vbi Sanctiſſimū Domini Sacramentū aſſeruatur, ac in ȷs locis, & pagis vbi numerus Miniſtrorū circa eam ſufficere poſſit, & multitudo populi conuenire, quæ, antequam incohetur, ſit confeſſione munita, & ſi fieri poteſt, communione refecta.

Fiat autem in conſpectu Sanctiſſ. Sacramenti, quod è tabernaculo expoſitum in maiori, alioue Altari palam collocetur, locusq; ſit decentèr ornatus, ac religioſis, & deuotis picturis tantum decoratus. Cerei accenſi ad ſummum decem, ad minus verò ſex decentis ponderis; lampades duodecim, aut tredecim, nec verò pauciores, quam tres.

Parochus

Parochus adſit, ſiuè Eccleſiæ Superior pluuiali indutus, qui Sanctiſſimum Sacramentum religioſè proponat, tùm Clerus loci ſuperpelliceo ſimiliter indutus, qui in hac functione illum adiuuet, tum incolæ omnes, præſertim Sanctiſſimi Sacramenti ſodalitati adſcripti:

Proceſſio extrà Eccleſiam pro huiuſmodi expoſitione non habeatur. Preces fundendæ, & orationes habendæ ſint ad præſcriptum formulæ libelli, cuius tranſumptum in fine huius apponi iuſſimus.

Interdiu Clerici duo, ſi fieri poteſt, capite detecto aſſiſtant, ſin minus ſodales, vel aliquot viri graues, pietatis, ſpiritualiſq; vitæ cultores, & cum his, vnus ſaltem eccleſiaſtici ordinis, quorum etiam cura ſit, vt omnia recto ordine peragantur.

Ad excitandam verò populi deuotionẽ curetur, vt in eius frequentia ſermo habeatur, iſq; breuis, qui animos ad meditationẽ, & deprecationem alliciat. Fœminæ à maribus ſeparatæ, vel aliquo interiecto tabulato, ſeu panno orent, non tamen nocturno tempore, quò etiam ſi adſint orantes, Sacramentum in Tabernaculo reponatur.

Peracto autem Orationis tempore, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, iiſdem, quo expoſitum fuit, cæremonijs reponatur. Et ſi aliquid ex eleæmoſinis, detractis expenſis ſupererit, in vſum Scholæ, ſeu Societatis Sanctiſſimi Sacramenti erogetur.

Cum autem Sanctiſſimum Sacramentum non tantùm in Eccleſijs Sæcularibus, ſed etiam Regularibus pro aliqua particulari perſona, vel priuata cauſa impoſterum exponendum erit, non in tabernaculo geſtatorio, ſeu oſtenſorio, vt multis in locis Ciuitatis, & Diœceſis, hucusque fieri conſueuit, ſed in pixide clauſa, & velata, ac in porta Tabernaculi tantum, præuio vnius

campanæ

campanæ ſigno, adorandum exponatur, vt pluries à Sac. Congreg. reſcriptum fuit. Et tàm in principio, quàm in fine orationis, Sacerdos ſtola, & cotta indutus, & Clerico ſaltẽ aſſociatus, adſit. luminariaq; ad minus ſex in Altari decentèr ornato pro tanti Sacramenti dignitate accendantur. Cum verò pro publica perſona, vel cauſa à Nobis, vel Vicario noſtro Gen. approbanda erit exponendum, tunc in oſtenſorio tabernaculo, ſolemni cum apparatu, & campanarum ſigno pluribus aſſiſtentibus Miniſtris, publicè adorandum proponatur.

De Magiſtro Cœremoniarum. Cap. XIV.

QVia Sacræ Cæremoniæ in cultu diuino magno ornamento ſunt, & mentes hominum ad pias, & vtiles cogitationes excitare ſolent; Nos hoc perſpectè conſiderantes, vt primum ad hanc noſtram Comenſem Eccleſiam acceſſimus, inter cætera non tantũ Cæremoniarum Magiſtrum, qui Nobis ſpecialitèr deſeruiret, verùm etiam ſecundum, qui in eo munere coadiuuaret, & Choro aſſiſteret, quorundam beneficiorum applicatione, & vnione creauimus, & inſtituimus. Eis propterea in Choro, & in Eccleſia in ijs, quæ ad rectã cæremoniarum rationem requiruntur, obtemperandum eſt; Proptèr Deum etenim parere in rebus præſertim Eccleſiaſticis non minus honorificum eſt, quàm imperare. Si quis verò illis non modò non parere, ſed etiam verba immodeſta proferre, vel reſpondere auſus fuerit, ſciat ſe non impunè iturum, ſed grauitèr arbitrio noſtro puniendum.

Ad Magiſtrum autem Cæremoniarum pertinet ſcire, quando ſtandum, quando ſedendum, caput inclinandum, genuflectendum, & alia omnia ad munus ſuum ſpectantia, & in Choro peragenda, iuxta Cæremonialis ſub Clemente VIII. editi præſcriptũ.

Eius munus etiam erit Sacerdotes de recenti ordinatos in Miſſæ cæremonijs examinare, & habiles repertos admittere, vt reportata licentia primum Miſſæ ſacrificium peragere benè, & decorè valeant. Quod ſi aliquo caſu per Vicarium noſtrum Gen. cuipiam concederetur dicta celebrandi facultas non facto per Cæremoniarum Magiſtrum dicto periculo, volumus tamen à prænarrata obligatione immunem non reputari, ſed intra menſem ſe eidem examini ſubijciendum, & denuò approbandum ſub pœna Nobis arbitraria teneri.

Si quos verò ex iam approbatis Sacerdotibus non tàm Ciuitatis, quàm Diœceſis, tractu temporis ſuo muneri non ſatiſfacere, vel remiſſiùs in dictis cæremonijs ſe gerere, aut in Eccleſijs Nobis ſubiectis per eccleſiaſticas perſonas aliquid inobſeruari, vel indecorum committi repererit, per eum grauitèr, ſed humanitèr, ſi aduerterit, obiurgentur; Quod ſi non reſipuerint, eorum nomina ad Nos deferat, vt debitæ correctioni, & mulctæ ſubiaceant.

In qualibet etiam Collegiata curent Archipræsbyteri, vel Præpoſiti, vt ritè cæremoniæ peragantur, quod vt conſultius fiat, aliquẽ ex Choro in ijs verſatum, vel magis idoneum ad hoc munus ſpecialitèr deputabunt; Fieri enim poterit, vt ex hac deputatione quamplurimi ad eas perdiſcendas alliciantur, & maiora dictæ Collegiata in dies ſuſcipiat incrementa maieſtatis, & honoris.

De Eccleſijs, & Diuinis Officijs. Cap. X V.

CVM in Eccleſia Dei nihil agendum, aut committendum ſit, quod indecens, atq; indecorum loci maieſtatem offendat, ſed omnia, ea qua decet reuerentia, & cultu præſtañ., Eccleſiaſtici

omnes

omnes in primis, vt exemplo etiam alijs ſint, tàm circà cultum, & munditiem Eccleſiarum, rerumq; ſacrarum, quàm circa Diuinorũ Officiorum celebrationem, deuotionem, & cæremoniarum grauitatem partes ſuas diligentèr obeant.

Parochi, cæteriq; omnes, ad quos pro officij ſui munere ſpectat, Conſtitutionem illam ſanctæ mem. Pij Papæ V. de modo in Eccleſijs conuerſañ. nec non & tradita per Viſitat. Apoſt., & Diœceſ. Synodum II. Chriſti Fidelibus vſq; adeò frequentèr euulgent, & tamdiù enuncient, quouſq; ad omnem rectæ executionis vſũ perducta fuiſſe compererint. Quos autem contumaces, aut negligentes animaduerterint, ità cũ illis agant, vt pro culpæ, vel cõtumatiæ grauitate à Diuinis etiã Officijs, atq; ab ipſo Miſſæ ſacrificio ceſſent.

Non leuis inoleuit abuſus de modo ſedendi in Choro per Eccleſiaſticos primæ Sedis dignitatem non dignoſcentes, ideò vt eradicemus, & modum ſeruandũ præſcribamus, ſtatuimus, vt ſi ſedes chorales ſint ante altare, prima ſedes è regione Altaris initiũ ſumat; quod ſi pòſt altare ſitæ reperiantur, & prima ſedes ab alijs diſtincta non ſit in medio Chori, etiam propè ipſum altare prima ſedes incohetur; locum enim digniorem ab altaris vicinitate, ſiuè recto, ſiuè retrogrado ordine ſumpta, declaramus.

Indecens, & valdè indecorũ eſt, quod diuinorum tempore ſæculares cum Eccleſiaſticis ſeſe in Choro cõmiſceant, præſertim vbi numerus eſt Clericorum; Quare quacunque abrogata conſuetudine, eiſdem Chorum ingredi tunc temporis interdicimus.

Oblationes etiã, quæ tempore feſtiuitatũm fiunt, oblationẽ animorum Deo cũ repræſentẽt, & SS. Pontificum Melchiadis, Fabiani, & Gregorij Conſtitutionibus cõmendentur, congruũ eſt, vt omni pietate, humilitate, & deuotione porrigantur, abuſuſq; circa huiuſmodi actionem tollantur; Quare edicimus, vt impoſterum ſine

timpanorum ſtrepitu, ſeu aliorum muſicalium inſtrumentorum ſono (organo excepto) ad Eccleſiam aſſocietur, vt interna animi deuotio, cũ externa, quam maximè fieri poteſt, coniungatur.

Sæpè experimento compertum eſt ob armorum vicinorum commoditatem, homicidia, & cædes in Eccleſijs interdum perpetrari, nõ ſine maxima populi cõfuſione, & eccleſiaſtici loci iniuria. Quare, vt huiuſmodi periculis obuiam procedatur, omnibus in Eccleſijs noſtræ Ciuitatis, & Diæceſis celebrantibus in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus ſæculares quoſcunq; moneant, nè arma deferant in Eccleſias, ſed eas potius ad valuas earumdem, dum in eis commorantur, deponant: Cum indecorum ſit, coram pacifico Rege adſtantes armatos conſiſtere, & thuris loco, accenſarum cordarum, & tormentariæ pulueris fumum redoleri.

Repugnat etiã loci ſanctitati, & dignitati, occiſorum cadauera, à maleficorum Iudicibus, & Notarijs in Eccleſijs viſitari, & ibi aliquid peragi, aut inquiri, quod ad eorum munus, & officium pertineat. Præcipimus igitur, vt adueniente caſu, dicta cadauera intrà Eccleſiam non inferantur, vel iam illata efferantur, vt commodius, & diligentius per eos inquiri poſſit de corpore delicti, & reliquis ad officium ſuum ſpectantibus.

Fœminis ad Sacriſtiam, qui locus eſt Sacerdotum, & Clericorum, nè pateat aditus, vel ingreſſus. Quare Eccleſiæ Miniſtris quibuſcunq; vt eò illas ingredi nè patiantur, neuè vllo pacto introducant, vel intromittant, indicimus, & mandamus.

Vetus illius ſpectaculi conſuetudo, quod Cal. Maij celebrari cõſueuit, & quod proinde Maiuma appellatũ eſt, ab manium Deorũ cultoribus inuecta, à Romanis verò Imperatoribus Anaſtaſio vlz. Theodoſio, & Arcadio Magni illius Griſoſtomi declamatione auguſtali lege iam pridẽ vetita, cum in hac vſq; tempora non ſine magna

gna Chriſtianæ pietatis offenſione retineatur, dum ſucciſæ arbores frondeſcentes, paſſim per Vrbem, Oppida, Vicos, & Pagos in plateis, ac Triuijs, & quod magis deteſtandum eſt, in ipſo Eccleſiarum conſpectu, & ſacratis cœmeterijs eriguntur. Nos ſcientes huiuſmodi prauum inſtitutum cauſam eſſe clamorum, rixarum, iurgiorũ, & interdum cædũ, nec non feſtorum violationis, & aliorumq; plurimorũ malorũ; Parochis omnibus Ciuitatis, & Diæc. noſtræ edicimus, atq; iubemus, vt propoſitis maximis Dei offenſionibus, demonſtratiſq; animæ detrimentis iſthinc prouenietẽtibus, ab hac pernitioſa re, & quæ gentilicam, vel ethnicam ſuperſtitionem ſapit, fideles eorum curæ concreditos, paterna charitate, atq; ſtudio auertere, & reuocare ſtudeant. Quod vt diligentius ad executionem perducatur, hoc noſtrum Synodale Decretum, vernaculo ſermone explicatũ quotannis die Dominico Calendas Maias proximè præcedente in frequentiori populi concurſu intrà Miſſarum ſolemnia grauitèr enuncient, & euulgent.

In Matutinis, & Veſperis omnes officio recitando adſtricti, commemorationem S. Abundij huius Ciuitatis, & Diæc. noſtræ Antiſtitis, & Patroni inter ſuffragia Sanctorum facere teneantur: Sicut etiã lectiones proprias Epiſcoporũ, & aliorum Sanctorũ Comeñ. à fæl. record. Gregorio Papa XIII. confirmatas, ſed per abolitionem ritus Breuiarij Comeñ. intermiſſas, iterum in matutinis precibus, vt primum impreſſæ fuerint, in eorũ feſtiuitatibus reaſſumi præcipimus, nè tantorum vita prætereat ſine memoria, & Nos eorum interceſſione digniores efficiamur.

Anniuerſaria dies creationis, & coronationis Sanctiſſ. D.N. Vrbani Papæ VIII., nẽpe VI. Auguſti, & XXIX. Septembris, nec non electionis, & conſecrationis Noſtræ, videlicet XIX & XXVIII. Decembris Miſſa in Cathedrali, & Collegiatis omnibus

c. ſolemnis. de cõſecr. diſt. 1. *Diœc. noſtræ ad præſcriptũ Cæremonialis Romani quotannis celebretur, à reliquiis verò Sacerdotibus in Miſſa commemoratio ſaltē peragatur, & in ordinario apponatur; Decet enim gregem Paſtoris feſtũ recolere, pro quo inuigilare non deſinit, Deumq; precari, vt quemadmodũ honoris fuit auctor, ſit etiã adminiſtrationis adiutor.*

De Oratorijs, Cappellis, & Altaribus. Cap. XVI.

QVia multorum interdum precibus, aliquo pietatis ſtudio incenſorum accidit, vt Oratoria, Cappellas, ſeù Altaria erigendi aliquando denegari non poſſit licentia, quo fit, vt ex eorum multiplicitate in eiſdem ſæpè negligatur cultus, & Eccleſijs Parochialibus, quæ tanto pietatis ſtudio à maioribus exædificatæ ſunt, debitum adimatur obſequium, in illisq; de reparanda ſuppellectili parua, vel nulla habeatur cura, Statuimus, vt per Vicarium noſtrum Gener. in huiuſmodi conceſſionibus, aut erectionibus impoſterum apponatur clauſula, vt ij, quibus conceſſio fiet, debeant infrà certum tempus ea paramentis præſcriptis, & alijs ad celebrationē requiſitis non tantùm ornare, ſed etiam manutenere, alioquin conceſſio nulla ſit, nec in Altari huiuſmodi ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis celebretur. Quod ſi quo caſu dicta clauſula omitteretur, ſemper tamen pro appoſita habendam declaramus.

Vbi verò Oratoria, Cappellæ, & Altaria iàm ædificata, collapſa, aut ruinoſa ſunt, vel prorſus paramentorum ſuppellectile denudata, ſumptibus fabricarũ, aut eorum, qui ad huiuſmodi reſtaurationem de iure, vel conſuetudine obligati ſunt, quamprimum reparentur, & inſtruantur ad præſcriptum Viſitationis Apoſtolicæ, & decretorum nuperper Nos in Viſitatione noſtra in ſingulis locis conditorum.

De

De Examinatoribus Synodalibus. Cap. XVII.

Examinatores ad præſcriptum Sac. Conc. Trident. à Nobis propoſiti, & à præſenti Synodo delecti, examinandi munus habeant, quouſq; alia Synodus celebrabitur. Cum in locum pro ſuſcepto officio exercendo conuenerint, clericale biretum habeant, ſtatas preces, & orationes in primis recitent: Iuramentumq;, quo ſe obſtrinxerint, inuiolabilitèr obſeruent. In examine ad Parochiales diligentèr aduertant perſonam, locum, & idoneitatem eius, qui curam ſuſcipere intendit. Cæterorum deniq; examinandorũ, corporis, habitum, vultum, veſtitum, inceſſum, geſtum, & ſermonẽ accuratè inſpiciant, vt ſi clericali veſtitu deformi, & ſine congruenti tonſura acceſſerint, ab examine reijciantur.

Veteres Examinatores à Synodo Diœc. IV. de anno 1618. celebrata deputati, & in præſenti confirmati.

RR. Patres. DD. Franciſcus Rezonicus S.T.D. Archipræsbyter.
Io. Iacobus Beutius S.T.D. Canon. Pænit., &
Io. Antonius Campatius S.T.D. Canon. Theologus.

Nouitèr Deputati.

RR. PP. DD. Io. Baptiſta Turconius I.V.D. Archidiaconus.
Alexander Lucinus I.V.D. Canonicus.
Io Petrus Parauicinus I.V.D. Canonicus.
Franciſcus Præpoſitus Orchius I.V.D.
Franciſcus Mannius S.T.D. Archipræsbyter S. Georgij.
Alexander Iouius I.V.D. &
Iacobus Raymundus I.V.D. Fini Præpoſitus.

De Iudicibus Synodalibus. Cap. XVIII.

Cauſarum Eccleſiaſticarum Iudices ad Conſtitutionem Bonifacij Papæ VIII. & Oecumenici Tridētini decreti ſimilitèr in Synodo noſtra electi, cum primum cauſas ſuſceperint iudicandas, vel forſan in Regularium Conſeruatores fuerint deputati, Apoſtolicas illas ſanctiones fœl. record. Gregorij XIII. & XV. Summorum Pontificum hac de re editas, diligentèr exequantur, caueantq; ne alienam iuriſdictionem perturbent: Præfinitam taxam, tàm ipſi, quàm eorum Notarij, & Actuarij inuiolabilitèr obſeruent. Proceſſus, & acta omnia abſolutis, tranſactisq́; cauſis in Archiuio noſtro Epiſcopali aſſeruañ., eiuſdem Archiuio Præfecto ſtatim conſignent. In reliquis verò muneris ſui partes quàm diligentiſſimè exequi ſtudeant.

Iudices Deputati.

RR. Patres DD. Io. Baptiſta Turconius I.V.D. Archidiaconus.
Io. Iacobus Parauicinus I.V.D. Canonicus.
Io. Petrus Parauicinus I.V.D. Canonicus.
Carolus Raymundus I.V.D. Canonicus, &
Io Baptiſta Marinonus I.V.D. Tirani Præpoſitus.

De Teſtibus Synodalibus. Cap. XIX.

Teſtes Synodales à Sacris Canonibus, & præſertim à Lateranenſi Concilio ſub Innocentio III. inſtituti, ac à Nobis in præſenti Synodo delecti ad reſtituendam, & retinendam Eccleſia-

cleſiaſticam diſciplinam, ea, quæ diffuſè de eorum officio à Viſitatione Apoſtolica ſancita ſunt, diligentèr obſeruent.

Horum autem teſtium nomina, licet dignis de cauſis hic non appoſita, pro euulgatis tamen haberi volumus.

De Sindicis Eccleſiarum, Piorumq; locorum Adminiſtratoribus. Cap. XX.

SIndicos Eccleſiarum, Hoſpitalium, ſeù locorum piorum Adminiſtratores pro eiuſdem Eccleſiæ, ſeu locorum piorum adiumento conſtitutos eſſe perſpicuum eſt, ideò etiam congruum, vt tales ſint, qui probè, & fidelitèr opus ſuum perficiant. Quare cum in plurimis huius noſtræ Diœceſis locis compererimus in adminiſtrandis Eccleſijs multos abuſus irrepſiſſe, illorumque potiſſimum, quod ad eorum nutum ſapè redditus, prouentus, atq; oblationes dictorum piorum locorum, in alios vſus, quàm Eccleſiæ, vel fabricæ &c. conuertant, vel ad proprium commodum inter ſe diſpenſent, vel pecunias in rebus etiam temporalibus diſtrahant, vel perſonis ſæcularibus mutuò dent, & mercaturas, & contractus interdum vitioſos cũ illis exerceant, nec de per eos perceptis, collectis, imburſatis, & geſtis in præſentia Parochorum, ſeu Eccleſiarũ Rectorũ, quorum tanquã procuratorum principalium intereſt, rationẽ reddere ſtudeant, fabricas, & Eccleſias huiuſmodi, ac eorum animas miſerabilitèr defraudãdo, Nos vltrà ea, quæ iam Viſitatione Apoſtolica, & Synodo Diœceſana II. ſancita ſunt, vt Eccleſiarum indemnitati, & ſubiectorum ſaluti proſpiciamus, hæc etiam adijcimus, quod Sindici, & Procuratores huiuſmodi omnes, quocunque

nomine

nomine nuncupati, impoſterum dictas pecunias, oblationes, redditus &c. in alium vſum; quàm eiuſdem fabricæ, vel Eccleſiæ, aut ſtatutæ pauperum ſubuentionis conuertere minimè præſumant, & malè iàm implicatos, accommodatos, vel profuſos reſtituere ſint adſtricti, nihilq; in futurum, etiam in Eccleſiarum, locorum piorum, aut fabricarum vtilitatem, non niſi Eccleſiæ Rectoris conſenſu, & participatione in dicta adminiſtratione gerant, vel expendant, cui etiam frequentèr rationes reddere, nec non & in ſingulos annos ſolidare teneantur; Quod ſi debitores reperti fuerint, totam debiti ſummam ſuo immediatè ſucceſſori ſub pœna excommunicationis, ſaltem intrà menſem ſoluere teneantur, & realitèr aſſignare debeant, & nihilominus quouſq; integram ſolutionem compleuerint, ab omni eiuſdem Eccleſiæ, vel loci pij adminiſtratione, vel officio amoueantur, & inhabiles reddantur.

Vt autem in prædictis omnibus gerendis nihil deſideretur, quod ad dictam ſedulam, & fidelem adminiſtrationem ſpectet, præcipimus, quod huiuſmodi Sindici, & Adminiſtratores quocunque nomine nuncupati, in futurum eligendi, ſiue Clerici, ſiue Laici exiſtant, nullo modo adminiſtrationis munus ſub excommunicationis, alijſq; cenſuris, & pœnis ſuſcipiant, quin prius in Ciuitate coram Nobis, vel Vicario noſtro Gener., in Diœceſi verò coram Archipræsbyteris, ſeù Eccleſiarum Rectoribus iuramentum præſtent de fidelitèr exercendo munere, de rebus Eccleſiæ non alienandis, de rationibus ſuo tempore reddendis, ac vtilibus faciendis inutilia prætermittendo, & alijs præſtandis, quæ ad congruam adminiſtrationem pertinent, quemadmodũ optimè per Deputatos, & Adminiſtratores Hoſpitalis noſtri Cumani fieri conſueuit.

Sindici

Sindici etiam, & Adminiſtratores quotannis renouentur; Quod ſi Rectoribus benè viſum fuerit, aliquem ex eis, vtpotè de rebus Eccleſiæ iam inſtructum, etiam per alium annum in dicto munere perdurare, ijsdem permittimus, & indulgemus.

Quod ſi interdum fructus, redditus, & prouentus dictarum Eccleſiarum, fabricarum, Hoſpitalium, ſeu locorum piorum ſupereſſent, augerentur, vel alio quouis modo ad manus Sindicorum, & Adminiſtratorum vtſupra aliquæ pecuniæ traderentur, vel venirent implicandæ, emptio, vel quilibet alius acquiſitionis contractus, etiamſi Eccleſiæ vtilis, nullatenus, niſi à Nobis, vel Vicario noſtro Generali obtenta prius facultate, & licentia, ſub nullitatis pœna celebrari valeat.

De Confraternitatibus, & Scholis Laicorum. Cap. XXI.

QVamplurima de Confraternitatibus, & Scholis Laicorum non minus neceſſario, quam prudentèr à Viſitatione Apoſtolica tradita ſunt, quæque Nobis recentiora decreta condendi adimunt facultatem, ſed potius iam conditorum obſeruantiam inculcandi, vt hoc decreto facimus, diſtrictè præcipientes Parochis, ſub quorum Cura, ſeù Parochia Confraternitates, vel Scholæ antedictæ reperiuntur, quatenus, vt ex omnibus innoteſcant, quæ in Viſitatione Apoſtolica prædicta præſcrita ſunt, eis bis in anno materna lingua diſtinctè legant, & obſeruantiam iniungant, Nosq; anno expleto certiores reddant de fructu reportato.

Iidem Confratres in Societatis ingreſſu, de ijs omnibus obſeruandis, quæ ad bonum Confraternitatis regimen, eiusq; Conſti-

tutiones

tutiones pertinent, in manibus Eccleſiæ Rectoris iurent, nec eleæmoſynarum eiusdem Confraternitatis, vel ipſius reddituum quicquam, etiam in eius vtilitatem, & ornamentum erogent, inconſulto Parocho, cui etiam alteram ex clauibus capſulæ dictarum eleæmoſynarum tradere teneantur.

Et quoniã interdum occurrit, vt ſæpius compertum eſt, quod ijdem Confratres, ſeù eleæmoſynarũ Adminiſtratores Diæc., ob aliquod emergens negotium ad dictam Scholam, vel Confraternitatem pertinens noſtrum Tribunal adeant, ac propterea ſumptus pro eorum itinere, labore, ac victu non exiguos nulla habita ratione faciant, quin etiam, donec fuerit reportata ſententia, vel perfecta cauſa iterum, atq; iterum maximo cum eodem diſpendio redeant. Ideò, vt huic etiam deteſtandæ conſuetudini obuiam procedamus, ac dict. inordinatos ſumptus penitus tollamus, diſtrictè præcipimus, & iubemus, vt tunc temporis, quo ad Nos, vel Tribunal noſtrum prima vice aliquid expoſituri conuenient, eoipſo procuratorem in Ciuitate conſtituant, qui ea in cauſa, donec abſoluta fuerit, eorum nomine compareat, & vices gerat, quatenus eis vltrò citroq; redeundi adimatur anſa, & Confraternitati, eorumq; conſcientiæ magis conſultum ſit.

Nè autem, vbi peccatorum eſt poſtulanda venia, ibi peccandi detur occaſio, caueant ijdem Confratres, ac locorum piorum Adminiſtratores ſub interdicti Eccleſiaſtici pœna nè in ædibus, locis, aut Scholis eorundem, homines cuiuſuis generis facinoroſos, vel aliàs quomodolibet Curiæ Sæculari obnoxios, Nobis inconſultis, recipere audeant, vel præſumant. Quod etiam ſub ſuſpenſionis pœna ad Eccleſiaſticos quoſcunq; Nobis ſubiectos extendi declaramus.

De bonorum Eccleſiaſticorum Inuentario. Cap. XXII.

QVoniam decretum de Inuentario bonorum Eccleſiaſticorum tàm neceſſario perficiendo in Synodo Diœceſana II. editum, vſque adeò comperimus debitæ executioni eſſe minimè demandatum, nè tanta res, & ex qua pendet omnium Eccleſiaſticorum redditıuum conſeruatio ſuo careat effectu, præſertim cum ex ſæuienti præterita peſtilentia omnia ferè immutata, atq; euerſa reperiantur, in hac Synodo noſtra denuò inculcandum cenſuimus, iniungentes ſingulis Eccleſiarum Capitulis, Canonicis, Parochis, & Beneficialibus quibuſcunq; , nec non alijs in dicta Synodo expreſſis, vt dictum Inuentarium intrà annum conficiant, & ad Nos per Plebium Archipræsbyteros, vel Præpoſitos in Archiuio noſtro reponendum tranſmittant. Quòd ſi in conficiendo negligentes extiterint, pœnam ſex aureorum locis pijs applicandorum, ſtatim dicto termino elapſo incurrant, & Curiæ noſtræ Fiſco fas ſit ad executionem, abſq; alia monitione, vel mandato procedere. Quod ſanè decretum extendi etiam ad cæteros beneficiatos declaramus, cum per eorum procuratores, ac fructuum, ſeù reddituum exactores id commodè præſtari poſſit.

Verùm, quia per ſolutionem dictæ pœnæ, quam irremiſſibilitèr exigi volumus, bonorum Eccleſiaſticorum indemnitati, haud ſatis conſultum remanet, volumus, & diſtrictè præcipimus, vt in Ciuitate per duos à Nobis eligendos, & in Diœceſi per Collegiatarum ſingulos Archipræsbyteros, ſeù Præpoſitos dictum Inuentarium contumacium expenſis ſex menſium termino conficiatur.

ficiatur. Quod vt facilius præſtetur, ſi Notarij copia in ſingulis Plebibus non ſuppetet, idoneum aliquem Eccleſiaſticum virum, ſi aderit, in Notarium requiſiti creabimus.

Eccleſiaſticus quiſuis beneficiatus, cui aliquid ſui beneficij nomine in ſingulos annos quouis titulo ſoluitur, cum primùm id exiget, Notarium adhibeat, qui per inſtrumenti fidem teſtetur, quicquid ab eo, qui ſoluere debet, acceperit, & cuius fundi; vineæ, prati, decimæ, poſſeſſionis, ædium, vel aliarum rerũ Eccleſiaſticarum nomine exegerit, tanquam directus bonorum illorum dominus recognitus, diligenti deſcriptione adhibita bonorũ. Quod ſi Clericus, cui intereſt, in huius rei cautione adhibenda negligens erit, medietate illius tunc redditus percepti mulctetur, idq; etiam quolibet triennio præſtetur.

Cum autem beneficiati domini non ſint, ſed tantũ vſufructuarij bonorum eccleſiaſticorum, ideò etiam eiſdem arborum inciſionẽ, abſq; Vicarij noſtri Gener. licentia ſub pœna ducatorum quinque in vices ſingulas, omninò prohibemus.

Defunctorum Clericorum hæredes, vel quicunq; alij, ad quos ſcripturæ, inſtrumenta, regiſtra, & alia ad Eccleſiam, ſeu beneficium quomodocunq; ſpectantia peruenerint, Eccleſijs, & Clericis in beneficio ſucceſſoribus ea, abſq; alia tergiuerſatione fideliter, & gratis tradant, etiamſi defunctus Clericus in huiuſmodi ſcripturarum, & inſtrumentorum confectione aliquos feciſſet ſumptus, & expenſas.

Et quia, quod attinet ad eccleſiaſticorum bonorum conſeruationem ſatis per Nos conſultum, & prouiſum cenſemus, ſimilem etiam diligentiam deſideramus in reliquis memoria dignis Eccleſiaſticis monumentis. Quamobrem hortamur Eccleſiarũ, Capitulorum, Collegiorum, & Monaſteriorũ Præfectos, vt quæ de ſuarum

Eccleſiarũ erectione, fundatione, & laudabilis conſuetudinis inſtituto, ac reliquis memoria dignis ex antiquitatũ tenebris, præteritis, & futuris erui poterunt, & colligi in ſelectum Codicem referant, nè illorum memoria depereat, & ſuperſtitum his virtutum ſtimulis ad maiora incitetur deſiderium.

De congrua eleæmoſinarum diſtributione.
Cap. XXIII.

Ciuitatem hanc, Diœceſimq; noſtram multis pijs redditibus ad pauperum ſuſtentationem reſſertam, ſatis compertum eſt, adeò vt non ſolum magnæ præſeferat ſpecimen pietatis, ſed etiam egentibus magno ſubſidio ſit. Verùm cum pietatis, religionisq; ratio illud depoſcat, vt quæcunque ad Dei gloriam, proximorumq; adiumentum pertinent, ea non conſeruentur ſolum, ſed etiam recto ordine diſtribuantur, præſertim ad recolendam beneficiorum memoriam, & benè ſatisfaciendum piorum inſtitutorum volontati, depoſcenti vt ergà pauperes ita ſit benè ordinata charitas, vt opes diſpenſentur, non effundantur. Nos licet per Diœceſanam Synodum Secundam multa hac de re tradita ſint, nè tamen Chriſtianæ pietatis zelo, & paſtoralis vigilantiæ ſtudio deeſſe videamur, placuit vt omnes, & ſingulos, ad quos eleamoſinarum diſtributio quoquomodo ſpectabit, commonere, vt in ea eroganda rationem habeant neceſſitatis depoſcentium, non perſonarum, adeò vt diſcretè diſpenſent quod certè ad hunc effectum ſalubritèr inſtitutum eſt. Caueant igitur, nè quod pluribus dandum eſt, vni tantum profundatur, nec conciliandi fauoris gratia, vel alicuius vtilitatis, & commodi ſpe diſtribuatur, ſed puro, ac ſincero affectu elea-

eleæmoſina promatur, ijſq; potiſſimum, qui moribus, ac vitæ probitate præfulgere dignoſcuntur, ac qui Doctrinæ Chriſtianæ Scholas frequentant; Conſiderent diligentèr ætatem, verecundiam, quæ ingenuos prodit natales, & debilitatem, quæ in ſenibus victum ſibi quærere non patitur, & diuites in egeſtatem delapſos: Inter omnes enim fortunæ aduerſitates infœliciſſimum genus infortunij eſt fuiſſe fœlicem.

Cum verò intèr hæc pietatis opera non poſtremum ſibi vindicet locum nobiles puellas pauperes matrimonio collocare, earumq; pudicitiæ proſpicere, quod in hac Ciuitate incomparabili liberalitate, & beneficentia bo. mem. Cardinalis Comeñ. certè inſtitutum eſt, pratèr qualitates ſuperius recenſitas, caueant etiã nè maioribus ætate minores, & egeſtate minus laborantes magis egentibus præferantur, habeantq; rationem, vt magis honeſtate conſpicuis, & in periculo poſitis conſulatur.

De Celebratione Miſſarum. Cap. XXIV.

MIſſæ ſacrificium, quo Ieſu Chriſti recolitur memoria Paſſionis, omni animi deuotione, & cordis puritate eſſe peragendum, non eſt qui ignoret. Quamobrem, vt non tàm interna, quàm externa munditie offeratur, per Rubricas Miſſalis, & per Viſitationem Apoſtolicam multa, eaque perutilia, & quoad cæremonias, & quoad ritum, & modum ſtatuta ſunt, vt ampliorem non admittant dicendi materiam, ſed tantum inculcandi, quod iàm traditum eſt; idque vt omnium animis infigere poſſit obſeruantiam, bis ſaltem in anno ſinguli Sacerdotes perlegant, & debitum reportare fructum diligentèr curent, & ſtudeant.

Vt

Vt igitur abuſus omnes, ſi qui irrepſerint, tollantur, & omnia ad præſcriptum ritè, & rectè peragantur, curam committimus Vicarijs noſtris Foraneis, ac etiam Archipræsbyteris, & Præpoſitis in ſuis Plebibus, vt celebrantes diligentèr obſeruent, & ſi eos regulas præſcriptas deſpicere cognouerint, confeſtim admoneant, & vbi admonitiones contemnant, vel denuò in eoſdem errores recidere cognoſcant, qui in Vrbe erunt, ad Vicarium noſtrũ Geñ. deferantur, qui in Diæceſi ab eisdem Vicarijs Foraneis, Archipræsbyteris, ſeu Præpoſitis ad tempus ſuſpendantur.

Alienæ Diæceſis, aut Regulares Sacerdotes ad celebrandum in nullis noſtræ Ciuitatis, & Diæceſis Eccleſijs, & Oratorij, quæ ſub laicorum, Confraternitatiſue alicuius adminiſtrationis cura ſunt admittantur, præſertim pro quotidianis, ſiue ad aliquod tẽpus officiaturis, niſi ſpecialem licentiam in ſcriptis à Nobis, vel Vicario noſtro Geñ. reportarint. Quod ſi contrafecerint, Sacerdotes à diuinis ſuſpendantur, Oratoria verò prædicta interdicto ſubijciantur, & laici officijs, quæ in Oratorijs eiſdem obtinent priuentur.

Sacerdotes, qui à Sac. Supremæ Inquiſitionis Congregatione facultatem habent diebus feſtiuis certis in locis ſecundam Miſſam celebrandi, in die Natalis Domini quartam, vt potè non neceſſariam, celebrare minimè præſumant.

Et ſi decreta de celebratione Miſſarum à Sac. Congreg. Conc. Trid. emanata vna cum declarationibus ſuper eisdem in ipſo ad hanc noſtram Eccleſiam acceſſu iuſſu noſtro euulgata fuerint, vt tamen ab omnibus inuiolabilitèr obſeruentur, in calce huius noſtræ Synodi apponi curauimus.

In Eccleſijs vbi plures Miſſæ celebrandæ fuerint, pro commoditate populi ita diſponantur, vt omnium deuotioni, & obligationi ſatisfieri poſſit. Et ſi eodem tempore aliqua celebrentur

Sacerdotes Altaribus ità diſtinctè aſſignentur, vt inuicem ſe perturbare non poſſint, nec in duobus Altaribus è regione poſitis; Miſſæ ſacrificium eodem tempore peragatur, nè adſtantes auerſa terga celebrantibus habere cogantur.

Facultatem, quam à Sacris Canonibus habere prætendunt Sacerdotes, qui quotidie celebrare tenentur, ſaltem per vnicam diem in hebdomada abſtinendi à Sacro Miſſæ Sacrificio, ita intelligendam declaramus, vt eis non liceat eo die, nec gratis, nec eleæmoſinæ mercede alibi celebrare, alitèr ſuam non faciant eius diei eleæmoſinam, ſed ad reſtitutionem teneantur, cum quod ob tanti Sacramenti reuerentiam conceditur, callidè non debeat in turpe lucrum detorqueri.

Vt autem Miſſarum, quæ in qualibet Eccleſia venerint celebrandæ, habeatur notitia, eiſque, quo par eſt, modo ſatisfiat, Sacriſtæ, & Eccleſiarum Præfecti ſinguli libros habeant, vbi receptam eleæmoſinam apponant, quæ dietim à Fidelibus dabitur. Quod ſi id prætermiſerint, pratèr pœnam Nobis arbitrariam, ad dupli reſtitutionem teneantur. Alter etiam liber adſit in Sacriſtia, vbi quilibet Sacerdos, qui Miſſis huiuſmodi ſatisfecerit, propria manu nomen ſuum ſcribat, vt conſultius ſatisfiat piorum tàm viuorum, quàm defunctorum voluntati. Quod ſi aliena manu, quam Sacerdotis, qui celebrauerit, notata reperiantur, nihilominus Sacriſtam ſic permittentem, ad denuò ſatisfaciendum de proprio teneri declaramus.

Paſtorales, & mites primò, deinde rigidas cohortationes, & inculcationes, atq; alia demum acriora remedia pro obtinenda in Ciuitate, & Diœceſi noſtra piorum legatorũ exequutione, vel Miſſarum ex obligatione beneficij celebratione, hactenus per Nos adhibitas parũ, vel nihil profeciſſe non ſine magno animi noſtri mœrore

cum

cũm dignouerimus, Nos ad ea etiam in hac Synodo noſtra repetenda compulerunt, immò ad maiora adhibenda medicamenta, quo deterior eſt præuaricatorum morbus. Benignè igitur, & totis viribus omnes cohortamur in Domino, vt huiuſmodi legatis, & Miſſarum obligationibus nullam amplius in ſatisfaciendo morã interponant; Qui enim intrà annum non obtemperauerint, eos ſe peccati reſſeruati labe irretitos cognouerint. Quod vt Confeßarijs omnibus innoteſcat, in reſſeruatorum Caſuum Tabella adijci mandauimus.

Vt etiam ſcandalis, quæ euenire poßent ex neglectu, intermiſſione, vel omiſſione Sacerdotum mißas, & diuina officia iuxta pias defunctorum, vel dotantium intentiones, & voluntates non celebrantiũ occurrere poſſimus, neuè Chriſti Fideles ab erectionibus, & beneficiorũ dotationibus retrahantur, Parochi, & Eccleſiarum Præfecti quicunq; ſingulis ſex menſibus ad Vicarium noſtrum Generalem, ſeu promotorem legatorum piorum à Nobis deputatum, notulam Cappellanorum, qui eo ſemeſtri eorum obligationi non ſatisfecerint, tranſmittant, vt contrà eos debitis pœnis procedi poſſit, alioquin contra ipſos negligentes in denuntiando animaduertetur.

Indecens quoq; eſt, vt lumina etiam, ſeù candelæ, tàm pro Altari, quàm pro Eleuatione, dum Miſſæ ſacrificiũ offertur, interdum ita conſumptæ ſint, vt adſtantibus non tàm admirationis, quàm murmurationis non exiguam præbeant occaſionem. Quamobrem, vt omnia tremendo huic Mißæ ſacrificio quàm maximè reſpondeant, candelæ ſemper adſint congruæ magnitudinis, & cum opus fuerit debitis temporibus mutentur.

Nec indecentia vacat aliquorum etiam Sacerdotum conſuetudo illa collaria deponendi, dum Mißæ ſacrum perficere inten-

dunt, nè forſan rugoſa poſtmodum, & inornata appareant, non conſiderantes id interdum accidere in multorum præſentia, & potius corporis inelegantiam indicare. Quare nè res tam indecora in vſum amplius protrahatur, eam penitus interdicimus, & prohibemus; quinnimò collaria ſimplicia, ac modicè lata, & honeſtè reclinantia, vti eccleſiaſtico ſtatui magis conformia, ab omnibus geſtari præcipimus.

De Capitulis, & Canonicis. Cap. XXV.

NON *tam à Sacra Trident. Synodo, & Viſitatione Apoſtolica viuendi norma, & regula Canonicis tradita, & præſcripta eſt, quam ab ipſamet nominis denominatione, quæ nihil aliud, quam regulam importat, eisdem inferri videtur. Vnde in formula illa antiqua viuendi Canonicorum Sanctæ Hildeſemeñ. Eccleſiæ à Ludouico Pio Imperatore inſtituta, legitur; Qui non vult regi, nec dirigi, ipſe non eſt Canonicus; ſi autem non eſt Canonicus, tunc coram Deo leuare non poteſt fructus præbendæ, cuius titulum falſo nomine poſſidet. Quod ſi leuauerit, peccat, & ad reſtitutionem coram Deo tenetur. Et ſi reſtituere non valet, tunc diuina iuſtitia æternæ ſeruituti adiudicabit, ſi in hac vita, dum tempus habet, condignam pœnitentiam non egerit. Curent igitur Canonici noſtri temporis ea, quæ de eorum vita, moribus, ſtatu, conuerſatione, pſallendi ratione, & eccleſiaſtica diſciplina edita ſunt, diligentèr obſeruare, vt verè Canonici reputentur; Gregorij enim Niſſeni documento habemus, non ex appellatione res fieri, ſed qualitèr illæ ſint, nomine ipſo declarari. Vnde cenſendum non eſt, quod quia Canonici ſæculares dicantur, ob id eis licere*

ſæcu-

ſæcularium vitam ducere, moresq; ſectari, nam quamuis inter ſæculares conuerſentur, non ideò ab exacta eccleſiaſticæ diſciplinæ regula ſunt exempti.

Præter ea igitur, quæ de Canonicis, & Capitulis peculiaritèr non minus, quam vtilitèr à Viſitatione Apoſtolica, & à Prædeceſſoribus noſtris, ac à Nobis etiam in noſtro Viſitationis munere ad Cathedralis Eccleſiæ noſtræ, & Collegiatarum reformationem generatim, & ſingillatìm ſancita ſunt, ad quorum relectionem, & obſeruantiam omnes vehementèr hortamur in Domino, hic etiam aliqua ſubtexere, vt potè neceſſaria cenſuimus, & decreuimus.

Quoniam verò dubitandum non venit, quin magnum vtilitatis adiumentum afferant Capitula, quæ haberi ſolent à Canonicis de rebus ſpiritualibus, de modo piè, ſanctèq; viuendi, de erroribus in ſacrarum Cæremoniarum ritu commiſſis reformandis, ac alijs peragendis, quæ diuinæ vocationi reſpondeant, Nos, vt hoc ſanctum, & probatum inſtitutum, in Cathedrali noſtra, ac alijs Collegiatis omninò introducatur, & obſeruetur, præcipimus, vt ad præſcriptum Viſitationis Apoſtolicæ habeantur, & à punctatoribus abſentes vnius florenì pœna mulctentur.

Punctatores à Capitulis quotannis electi ex reſcripto Sac. Congreg iurent ſe muneri ſuo ſatisfacturos ad præſcriptum tùm Apoſtolicæ, tùm prædeceſſorum, & noſtræ Viſitationis decretorum, fidemq; duorum Canonicorum antiquiorum manu ſubſcriptam in actis Curiæ noſtræ ſex dierum ſpatio exhibeant, ſub graui pecuniaria pœna Nobis arbitraria.

Cùm canonicales præbendæ, & portiones ad hoc inſtitutæ fuerint, vt Canonici in Choro Miſſam, horas canonicas, & alia huiuſmodi, ad quæ pro eorum munere tenentur, eo ſono vocis, &

modulo recitent, quo ab alijs poſſint exaudiri, ideò admittendi non ſunt, qui cantus peritiam ignorant. Quapropter in ijs admittendis magnum, & diligens habeatur periculum, ſerueturq; inuiolabilitèr Decretum Synodi Diœceſanæ Primæ hac de re editum. Libros quoque omnes ad Cantum Choralem Gregorianum ſpectantes ad præſcriptum Synodi Diœceſ. III. de anno 1598. celebratæ, ac Decretum Sacræ Congreg. negotijs Epiſcoporum præpoſitæ in ſingulis Eccleſiarum Capitulis adeſſe iubemus ſex menſium termino, pœna contrafacientibus decem aureorum propoſita, ad cuius executionem Fiſci noſtri Procurator, abſq; alia præuia monitione, vel citatione procedere teneatur.

Quo die anniuerſarium, aut aliud Officium pro Defunctis celebrandum eſt, Miſſa conuentualis cantata de currenti officio nullo modo omittatur; vt Can. Iure, & Sac. Congreg. reſcripto pro Capitulo Eccleſiæ noſtræ præfinitur.

c. cũ creaturam de celebrat. Miſſarũ.

Canonici, qui ad certam partem fructuum prabendæ primi anni conſecuti Canonicatus tenentur, eam nullo modo ſoluere prætermittant ſtatuto tempore. Quod ſi vltrà quindecim dies diſtulerint, aut alia de cauſa Sacriſtiæ debitores euadent, & intrà idem tempus non ſatisfecerint, Camerarius, ſeù Capituli Theſaurarius tantum ad hunc effectum de primis diſtributionum fructibus retineat, quantum ad integram ſolutionem ſufficiat, alitèr ad ſatisfaciendum de proprio teneatur.

In Ecclesijs verò, vbi reſſidentia iam longo temporis ſpatio quodammodo intermiſſa fuit, vel in deſſuetudinem abijt, nè Sacriſtiæ ſacra Suppellectile per tempora in totum denudatæ remaneant, Nos huic malo prouidere volentes, cum Decretum Synodi Diœceſanæ II. hac de re editum non ab omnibus æquè debitæ executioni fuerit demandatum, & nè impoſterum contro-

uerſiæ

uerſiæ aliquid oriatur ſuper debita fructuum portione ſoluenda, M. RR. DD. Io. Iacobum Bentium Cathedralis noſtræ Canonicum Pænitentiarium, & Iacobum Raymundum Fini Præpoſitum ad certam conuenientem taxam trium menſium ſpatio præfiniendam in ſingulis Eccleſiarum Collegiatarum Canonicatibus deputamus, ad cuius ſolutionem (quam non niſi in eiuſdem Sacriſtiæ vſum, & ſeruitium ſub dupli pæna implicari iubemus) impoſterum omnes Canonicatus huiuſmodi, & dignitates inibi obtinentes adſtrictos, & obligatos eſſe volumus, & declaramus.

In noſtræ deniq; Cathedralis Eccleſiæ Canonicis, & alijs eiuſdem Miniſtris non eandem ſolummodò vitæ probitatem, & decretorum obſeruantiam, quàm in cæteris requirimus, quinimmò maiorem, vt quemadmodum dignitate, habitu, & loco alijs præferuntur, ita etiam grauitate, & exemplo præluceant.

Formula iuramenti Punctatorum.

Ego N. promitto, & iuro me in Officio meo Punctatoris obeundo, fidem, & diligentiam præſtaturum ad præſcriptum decretorum Viſitationis Apoſtolicæ, ac Reuerendiſſimorum Epiſcoporum Comenſium. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De Parochis, & eorum Parochijs. Cap. XXVI.

EST profectò ars artium Cura animarum, vt ait Gregorius Nazianzenus, itaut non ſolum ingenti prudentia ſit opus ad eam ritè exercendam, ſed etiam maximo Dei auxilio, ad

quod impetrandum aſſiduis precibus ab eodem bonorum omnium authore, & largitore contendant Parochi, vt eis vires, ſpiritus, & alia ſuæ profeſſioni neceſſaria ſubminiſtrentur, & per eos executioni demandentur, quæ à Viſitatione Apoſtolica, & Diœceſana Synodo exarata, & de eorum officio tradita ſunt.

Cum autem de præcepto Eccleſiæ Miſſa diebus Dominicis, & feſtiuis ſit à populo audienda Parochi eam hora competenti celebrent, nè reſpectu Nobilium, & Ciuium, cæteri homines nimium grauentur, neuè vllo modo ijs diebus ad alias Eccleſias celebrandi cauſa ſe conferant, quacunq; conſuetudine, vt potè animabus pernitioſa, abrogata. Quod ſi ad aliquem locum, non tamen valdè diſtantem, & vbi populus veriſimilitèr conuenire, ibiq; Miſſam audire poſſit, Parocho accedere contingat, id non fiat, niſi populo præcedenti feſto admonito, cui quoq;, ſi in eo loco adſit alia Miſſa pratèr Parochialem, teneatur abſentiam, quando occurrerit, denuntiare, nè aliqua pars populi Miſſæ auditione priuetur.

Veſperas etiam in qualibet Eccleſia Parochiali recitare omninò non deſinant hora congrua, & competenti, adhibitis Clericis, & Sacerdotibus Parochiæ, vt Viſitat. Apoſtolica non ſine graui pœna cautum eſt.

Decretum alias editum, quo cauetur, vt infantibus in baptiſmo nomina Sanctorum, aut Sanctarum imponantur, cum executioni ſegnitèr hucusq; demandatum ſit, Parochis diſtrictè præcipimus ad memoriam parentum reducere exequendum. Si enim apud Gentiles potiſſima cura erat, vt parentes honeſtis filios nominibus appellarent, aſſerentes, quod pulchra nomina deberent emi, ſi venderentur, quantò magis Sanctis nominibus non venalibus, ſed deuotis Chriſtiani gloriari deberent. Ijdem verò Pa-

rochi,

rochi, tàm in ſupraſcripti, quàm cæterorum Sacramentorum, & præſertim Matrimonij adminiſtratione à Rituali Romano tradita abſq; vlla alteratione, vel immutatione diligentèr obſeruent cum hucuſque plura correctione digna compererimus.

Piam domorum benedictionem ab Eccleſia introductam, ſemel tantum in anno fieri præcipimus, ſed mæretricum, ac publicorum peccatorum, eorumq; etiam, qui elapſo anno cõmunionem minimè ſumpſerunt domos aſpergi, & benedici prohibemus, non enim poteſt ſuper eos requieſcere ſpiritus pacis, quorum membra effecta ſunt habitacula criminum.

Infirmos ſuæ Parochiæ ſæpius viſitent, conſolentur, & ad pœnitentiam prouocent, & ſi quos agonizantes non confeſſos repererint, qui nutibus, vel ſignis contritionem oſtenderint, eos abſoluere non omittant, neq; vllos ſine debitis auxilijs decedere permittant, quæ qualia tunc temporis præſtiterint, in libro mortuorum apponere teneantur.

Cum temporis grandines, vel tempeſtates ingruunt, ad Eccleſiam pro diuino auxilio implorando ſtatim confugiant, ſed ad eas ſignandas Tabernaculo oſtenſorio cum Hoſtia conſecrata minimè vtantur, liceat tamen illam ſuper Altari, vel aperto Tabernaculo adorandam exponere, vt facilius diuina clementia ad miſericordiam flectatur.

Suggerant Parochi Fidelibus curæ ſuæ concreditis, & propè morituris, vt antequam ex hoc ſæculo migrent, præſertim, qui in Ciuitate ſunt, ad Nos pro benedictione cum Plenaria Indulgentia, iuxtà facultatem Nobis à Sanctiſs. D. N. conceſſam, obtinenda, mittant, vt tanto auxilio muniti, ſecurior eorum deceſſus ex hac vita reddatur.

Vt nullum officij genus prætermittant Parochi, quo Fideles

ſibi

ſibi in curam traditos ad pietatem excitare poſſint, in vnaquaq; Parochiali Eccleſia ter in die, manè ſcilicet, meridie, & veſpere campanæ pulſentur, vt eo ſono ad Salutationem Angelicam de more recitandam omnes incitentur. Ad idque Parochi eos ſæpiſſimè cohortentur.

Congregationes foraneas menſtruales Parochi nullo modo intermittant ad præſcriptum Viſitationis Apoſtolicæ, & Decretorum Synodalium Diœceſanorum, fidem Confeſſionis ſepiſſimè habitæ deferant, & de progreſſu Doctrinæ Chriſtianæ Vicarium Foraneum certiorem reddant. Deputetur etiam Cancellarius in ſingulis Plebibus, qui in Codicem referat caſuum deciſionem, quam poſt conſuetum conuentualis Miſsæ ſacrificium peractum, eiuſdem Vicarij Foranei arbitrio relinquimus, an ſatius ſit pro locorum, & Parochorum diſtantia, & commoditate mane, vel à prandio haberi.

In locis autem Diœceſis noſtræ, vbi ſaltem quattuor Confeſſarij reperiuntur, altera Congregatio ſingulis menſibus coram eius loci Archipræsbytero, Præpoſito, ſeù Parocho habeatur ad præſcriptum Edicti per Nos editi, à qua neminem certè quidem excipimus, ſed inuiolabilitèr obſeruari volumus.

Congregationes etiam Parochorum Vrbis, & Plebis Zezij per Nos inſtitutas, & in Palatio noſtro Epiſcopali habendas nullatenus intermitti volumus, quinimmò medietatis aurei pœnam contrà non intereſſentes iuſto ceſſante impedimento impoſitam, per Cancellarium eiuſdem Congregationis irremiſſibilitèr exequi mandamus.

Cum multa denique in varijs titulis hujus noſtræ Synodi ad Parochorum officium, & curam animarum concernentia, definita, & conſtituta ſint; Parochis eiſdem, & Viceparochis omnibus

nibus præcipimus, eiſque ſeuerè mandamus, vt ea omnia, & ſingula ſub inibi contentis, ac alijs etiam grauioribus pœnis, non tantum per ſe diligentèr obſeruent, ſed ab alijs etiam, quorum cura illis commiſſa eſt, obſeruari faciant, & procurent.

De Funeribus, & Exequijs. Cap. XXVII.

EST ſanè illa naſcentis Eccleſiæ initio conſuetudo introducta, vt Fidelium corpora mortuorum, quæ cum animarentur, templum fuere Spiritus Sancti; ad ſepulturam, quo par eſt ritu efferantur. Nos, vt tam pium opus maiori, quo fieri poteſt, religionis cultu, pietate, & pace ab ijs, ad quos ſpectat, perſoluatur, præter ea, quæ à Viſitatione Apoſtolica tradita ſunt, hæc etiam conſtituere decreuimus.

Crux in primis in exequijs mortuorum, vbi commodè fieri poteſt, à Clerico ſemper deferatur, vel ſaltem, vt in cap. Proceſſionum dictum eſt, à laico talari veſte, & ſuperpelliceo induto, vt decorum tanti vexilli etiam in ijs functionibus ſeruetur.

Parochi, cæterique Eccleſiaſtici ad funera, & exequias cantu & ipſi vtantur Gregoriano ad præſcriptum Ritualis Romani, non præcipitantèr, ſed grauitèr, & integrè, interſintq; ea deuotione, & religione, vt ad rem quam agunt, intimè, piè, animoq; in primis attenti, corporis etiam compoſitione, habitu, atq; vultu, pietatem, quemadmodum decet Dei Miniſtros præſeferant, vt non modo ad orationem pro Defuncto, ſed ad meditationem quoque mortis etiam adſtantes incitentur.

Plurimorum eſt abuſus celebrantium ſequentiã Defunctorum in eorum miſſis ommittere, vel celeritatis gratia, vel negligent.æ

gligentiæ cauſa. Quare, vt penitus tollatur præſcriptum rubricæ ab omnibus impoſterum obſeruari omninò præcipimus, & iubemus.

Præfinita per Nos taxa eleæmoſinarum, ſeù mercedum in Ciuitate, & Suburbijs, vt deteſtabilis auaritiæ labes, & iurgiorum tollatur occaſio, ab omnibus inuiolabilitèr ſeruetur, & contrafacientes ſeuerè à Vicario noſtro Gener. puniantur. In Diæceſi verò duorum menſium termino à ſingulis Archipræsbyteris, ſeù Præpoſitis in ſingulis ſuarum Plebium Parochialibus conſtituatur, Vicarioq; noſtro Gener. approbanda, & ſubſcribenda tranſmittatur, vt debitæ executioni poſteà demandetur.

Eleæmoſina, quæ pro funere erogabitur non in Eccleſia palam, vel in via, aut in plateis, vt hucusq; à pluribus indecentèr obſeruatum fuit, diuidatur, ſed in Sacriſtia, vel alio ſeparato loco, ante, vel etiam peracto officio, quietè diſtribuatur.

Intortitiorum, ſeu candelarum, quæ in funeribus, vel etiam exequijs trigeſimis, ſeptenarijs, tercenarijs, aut anniuerſarijs dari ſolent, numerum non præfinimus, nec pondus, nec ab alijs præfiniri volumus, ſed id defuncti hæredum, aut exequutorum arbitrio relinquendum eſſe declaramus.

Quotieſcunq; Miſſa præſente corpore defuncti, ſeu, vt vocant tertium, aut ſeptimum cum funere celebratur, intortitia, ſeu candelæ, vt hucusq; nonnullis in locis malè obſeruatum fuit, non mutentur, ſed quæ in ipſo funeris initio diſtributæ ſunt, ſufficiant, cum vna, eademq; actio, & valdè à Rituali Romano commendata cenſeatur.

Cappellani, & Clerici, qui actu in Parochiali Eccleſia, vbi quis deceſſit, diuinis inſeruiunt, in exequijs, ſi quando vltrà Parochum, & Clericum alios etiam Eccleſiaſticos vocari contingat,

tingat, inuitentur primi, & cæteris præferantur.

Si quando aliquem extrà propriam Parochiam, etiamſi in Eccleſia quantumuis priuilegiata, decedere accidat, vt omnis controuerſia penitus tollatur, & ne defuncti hæredes plus debito grauentur, officium, ſtola, & emolumenta omnia tàm ordinaria, quàm extraordinaria ad proprium defuncti Parochum ſpectare, & pertinere volumus, & declaramus, itaut nullus alius in dicto funere ſe intromittere, vel aliquid prætendere poſſit. Et nihilominus Parochus illius loci, in quo caſus huiuſmodi euenerit, in virtute ſanctæ obedientiæ eidem Sacramenta omnia miniſtrare teneatur, nè infirmus debito auxilio in tantæ neceſſitatis tempore priuetur. Verum ſi infirmitas permiſerit, quod proprio Parocho admonendo tempus ſuperſit, id per Parochum, vbi is reperitur, confeſtim fiat, vt tum ad Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda, tum ad alia ſalutifera remedia conferenda præſtò eſſe poſſit. Exteri verò, ſeu forenſes, qui nullum domicilium habent, illius Parochiæ intelligantur, vbi eos decedere contingat.

Clerici vita functi Sacerdotalibus veſtibus pro cuiusq; dignitatis, & ſtatus conditione, vt iam cautum fuit, ſed non obſeruatum, induti ad tumulum deferantur, & ſaltem cum alba ſepeliantur, vt quos viuentes omnium Dominus tantò munere decorauit, eos etiam mortuos à cæteris diſtinguamus.

Sacerdotes à Sacerdotibus, & Clerici à Clericis, vbi id commodè fieri poſſit ad ſepulturam ferantur; Archipræsbyteriq; ſeu Præpoſiti Parocho ſuæ Plebis defuncto cum ſtola, & pluuiali funus perſoluant.

Canonici, & Manſionarij mortui funus à reliquis Canonicis, & Manſionarijs item præſtetur, & ſequenti die, quo corpus

pus humatum fuerit, Miſſa conuentualis ab ijsdem reſpectiuè decantetur.

Parochi item in ſua Plebe pro defuncto Parocho idem præſtent, quod de Canonicis ſuperius ſtatuimus.

Canonicorum ſepulchrum, alterum verò Miniſtrorum, & Clericorum in Cathedrali, & Collegiatis, vbi commoditas adſit, quamprimum conſtruatur, nè tam ipſorum, quam laicorum cauſa Eccleſiæ pauimentum impoſterum deuaſtetur.

Abſurda illa conſuetudo, nè decedentium extrà Ciuitatem, vel Oppidum cadauera intus humanda portentur, neq; in eorum Eccleſijs, ſeu maiorum ſepulchris tumulentur, vti irreligioſa, & pietati minimè conſona, omninò tollatur, & eradicetur, cum liberum ſit vnicuiq; & vbiq; locorum ſibi eligere ſepulturam.

Quoniam interdum accidit, vt Regulares nonnulli, Conſtitutionis Apoſtolicæ fortaſſis ignari, de excommunicationis pœna, quam incurrunt, ſuadendo, ſeu hortando Chriſti Fideles ad mutandam antiquam maiorum ſuorũ, ſeu eligendam in Eccleſia ſui ordinis ſepulturã, ad hoc facilè ſub pio prætextu inducantur, ſtatuimus, vt impoſterum nulla dictæ electionis ſepulturæ ratio habeatur, de qua non aliter conſtet, quam per ipſius regularis aßertionem, ſeu atteſtationem, etiam ſi infirmus peccata ſua ei confeßus, id proteſtatus fuerit. Quod ſi Apoſtolicæ Conſtitutioni, & præſenti decreti tenori contrafecerint, vltrà pœnas à iure ſtatutas, facultate etiam Confeſſiones audiendi, priuati exiſtant.

Clem. Cupientes. §. finè. de pœnis.

Anniuerſarium, quod pro Epiſcopo prædeceſſore noſtro defuncto hucuſq; celebrauimus quotannis in Cathedrali, etiam Nobis abſentibus, & reliquis Collegiatis Eccleſijs præter generale pro Epiſcopis Comenſibus, perſoluatur, & in Calendario ſtata dies apponatur. Idem ſi quidem pro anima noſtra, cum hoc mortale

corpus

corpus exuerit, ſucceſſorem noſtrum ex ſua pietate curaturum certè in Domino confidimus.

Canonici, Manſionarij, Parochi, cæteriq; beneficiati die͂ obitus prædeceſſoris ſui in Codicem, ſeu Tabellam referant, vt & ipſi quoque præter anniuerſarium generale, quod in ſingulis Ecclesijs de more celebratur, Miſſam ſaltem eodem die pro eius animæ ſuffragio celebrent.

Parochi demum, cæteriq; Sacerdotes, non tàm eorum exemplo, quàm verbo fideles hortentur ad preces aſſiduas pro defunctis effundendum. Ipſi verò pium ritum à ſempiterna memoria digno Petro Cardinali Damiani inſtitutum, & à tota Occidentali Eccleſia receptum, qualibet ſecunda feria Miſſæ ſacrificium offerendi pro ijſdem retinendum, & obſeruandum curent. Quinimmò vt defunctorum animæ, eo potiſſimum tempore, quo ex hac vita migrauerint, plenius ſubleuentur, atq; pia parentum ſuffragia quantocyus experiantur, conſanguineos omnes, atq; affines eoru͂ obitus eueniente caſu, ad peccatorum confeſſionem habendam, ac communione͂ ſumendam ijdem conſulant, & hortentur, quod facilè ab ijſdem mærore, & afflictione commotis obtinebunt.

De Monialibus. Cap. XXVIII.

PRætèr ea, quæ de Monialium Regula à Sanctis Patribus, eorumq; inſtitutoribus præfinita ſunt, non pauca etiam piè admodum, & prudentèr à Viſitat. Apoſtolica, & à prædeceſſoribus noſtris cauta certè fuerunt, vt Nobis potius eorum obſeruantiam iniungendi, quam plura ſtatuendi præbeant occaſionem.

Vt tamen muneri noſtro ea, qua par eſt, vigilantia ſatisfaciamus, & Monaſteriorum vtilitati proſpiciamus, diſtrictè

præci-

præcipimus Abbatiſſis, Prioriſſis, aut Monialium Præfectis, etiam Regularibus ſubiectarum, nè impoſterum aliquam pecuniarum, vel cuiuſuis alterius rei ſummam, ſiue in vna, ſiue in pluribus vicibus excedentem libras centum, Nobis, aut Vicario noſtro inconſultis, mutuò accipiant, alitèr pœnas Nobis arbitrarias incurrant.

Singulis ſex menſibus Monaſteriorum Præfectæ calculum, ſeu ſupputationem dati, & accepti, ac ſtatus Monaſterij in ſcriptis etiam non requiſitæ Vicario noſtro ſummariè tranſmittant, vt facilius Monaſterij indemnitati conſulatur.

Nè autem bona Monaſteriorum à colonis, & alijs dilapidentur, redditusque eorum protrahantur, vel defraudentur, prout hucusq; non ſine animi noſtri dolore euenit, Curet Vicarius noſter Monialium, vt duo ſaltem probatæ vitæ, experientiæ, & integritatis Sacerdotes conſtituantur, qui cauſas expediri ſtudeant, prædia aliquando viſitent, & in exactione reddituum tàm generalium, quàm particularium inſiſtant, Nobiſq; quoties opus fuerit, negotia referant, cæteraq; peragant, quæ in Monaſteriorum vtilitatem redundare cognouerint, eis certa competenti mercede aſſignata, quæ attento Monaſteriorum numero, non erit magni momenti, ſed certè maximæ vtilitatis.

Vt autem Monialibus, ſeu earum Procuratoribus liberum minimè ſit cauſas etiam parui momenti in iudicium producere, ac lites magno cum diſpendio inchoare, præcipimus, & iubemus eas, ſub pœna nullitatis geſtorum, nullatenus intentari, vel ad cuiuſcunq; generis Tribunal introduci, niſi prius habita à Nobis, vel Vicario noſtro Generali licentia.

Singulis diebus feſtis Doctrina Chriſtiana Conuerſis, ac Puellis edu-

educandis declaretur; ad idq́; præſtandum duæ ſaltem Moniales magis idoneæ deputentur.

In exequijs Monialium nulli, neq́; ipſimet Confeſſarij pro officio obeundo ſepta Monaſterij ingrediantur, ſed è feneſtrella Communionis cæremonias ad præſcriptum Ritualis in ſimilibus præſtandas obeant.

Confeſſionalium feneſtræ vbi ad formam Viſitationis Apoſtolicæ hucusque conſtitutæ non ſunt, duorum menſium termino ità adaptentur, vt nullo contingente caſu vnquam aperiri poſſint, ſed vſui tantum confeſſionum deſſeruiant; in quarum adminiſtratione Confeſſarij omnes tàm ſæculares, quàm regulares Stola ſemper vtantur, ſub pœna ſuſpenſionis à confeſſionibus audiendis, & alijs arbitrio noſtro infligeñ.

Religioſum fuit inſtitutum nomina recipiendarum, & veſtiendarum nouitiarum immutari, vt ſe ſæcularis vitæ, ac totius mundi illecebris oblitas ſcirent, ſed non minus damnabilis eſt conſuetudo illa in eorum ingreſſu nomina componendi, ſeu effingendi, quæ ſanctarum non ſint, leuitatis potius cuiuſdam, quã neceſſitatis impulſu; Quæ, vt pœnitus tollatur, curæ ſit Abbatiſſæ, ſeu Monaſterij Præfectæ, vt nomina Sanctarum tantum impoſterum imponantur, non autem gentilium, vt nomen cum habitu religioſo concordet.

Curent Moniales, vt in earum Ecclesijs Clericus conſtituatur, vel ſaltem laicus, veſte talari, & ſuperpelliceo indutus, qui Miſſis inſeruiat, hoc enim maximè conuenit, & Sacramenti reuerentiæ, & Sacerdotum commoditati.

Quæ à Sanctæ mem. Gregorij XV. peculiari Conſtitutione ſancita ſunt circa Confeſſariorum Monialium approbationẽ, Abbatiſſarum, ſeu Prioriſſarum electionem, reddituum adminiſtrationẽ,

& alia, quæ ad Ordinariorum tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatorum auctoritatem, & poteſtatem pertinent, inuiolabilitèr à Regularibus Monialium Superioribus obſeruentur, pœna iam à præcitata Conſtitutione Apoſtolica præſcripta, contrauenientibus propoſita.

Cum plura Monaſteria in Ciuitate, & Diœc. noſtra reperiantur diuerſorum ordinum, placuit hic ad Sac. Conc. Trid. præſcriptum, & Gregorij XIII. conſtitutionem, numerum Monialium in vnoquoq; habita reddituum ratione præfinire.

In Ciuitate.

In Monaſterio S. Columbani Ord. S. Benedicti, Moniales	45
In Monaſterio Sanctiſs. Trinitatis Ord. S. Auguſtini.	45
In Monaſterio S. Ceciliæ Ord. S. Auguſtini.	55
In Monaſterio S. Euphemiæ eiuſdem Ordinis.	30
In Monaſterio S. Annæ Ord. Prædicatorum.	40

In Suburbijs.

In Monaſterio S. Margaritæ Ord. S. Benedicti.	60
In Monaſterio S. Laurentij Ord. S. Benedicti.	50
In Monaſterio S. Vrſulæ extincti Ord. Humiliatorum.	40
In Monaſterio S. Mariæ de Cernobio Ord. Cluniacen.	40
In Monaſterio S. Iuliani Ord. S. Auguſtini.	35
In Monaſterio Aſcenſionis Ord. S. Auguſtini.	28
In Monaſterio S. Agathæ Ord. S. Auguſtini.	25
In Monaſterio S. Abundij Ord. S. Auguſtini.	40
In Monaſterio S. Catharinæ Ord. S. Auguſtini.	28
In Monaſterio S. Marci Ord. S. Auguſtini.	30
In Monaſterio S. Claræ Ord. S. Franciſci.	55

In

In Diœceſi.

In Monaſterio SS. Fauſtini, & Iouitæ de Inſula Ord. S. Benedicti. 30

In Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ de Grabadona extincti Ord. Humiliatorum. 38

In Monaſterio S. Laurentij de Sondrio Valliſtellinæ Ord. S. Benedicti. 25

In Monaſterio S. Catharinæ Lugani extincti Ordinis Humiliatorum. 35

In Monaſterio S. Bernardini de Bellinzona Ordin. S. Auguſtini. 35

In Monaſterio S. Catharinæ de Locarno Ord. S. Auguſtini nuper erecto. 15

In Religioſis autem domibus S. Leonardi in Ciuitate, & in locis Domaſij, & Peſclauij, nuper per Nos erect. vbi quamplurimæ Virgines in Societate ſub Regula S. Vrſulæ Deo famulantur, cum ſub perpetua clauſura non ſint, numerum etiam hic præfigere omittimus, ſed Virginibus ibi commorantibus præſcriptam ſpiritualis diſciplinæ regulam, quam profitentur memoriæ reducimus obſeruandam, vt maiora in dies ſuſcipiant incrementa virtutum.

Quæ de educatione puellarum, præſertimq; de illarum habitu, & deſponſatione à Viſitatione Apoſtolica præſcripta ſunt, ea omnia in Monaſterijs, vbi earum educandarum conſuetudo viget, perfectè executioni demandentur, nè pœnas ab eadem Viſitat. Apoſtolica ſancitas Monaſteriorum Præfectæ incurrant.

E 2 De

De Quæſtuantibus. Cap. XXIX.

ELeæmoſinam Quæſtuantes tam laici, quam alij quicunque non audeant, nec præſumant etiam priuilegiorum quocunque prætextu in aliquibus Diœceſis noſtræ locis quæritare, niſi de Vicarij noſtri Gen. licentia, quàm ad breue tẽpus concedat. Quod ſi litteras Apoſtolicas habuerint, eis vti non liceat; niſi prius eidem Vicario Generali recognoſcendas præſentarint, & coram Eccleſiarum Rectoribus, cum eiſdem denuò recognoſcendis comparuerint, Alitèr facientes amiſſionis omnium rerum, & earum etiam, quas ſecum habuerint, pœna plectantur.

Cum autem Regulariũ mendicantium loca in Diœceſi noſtra quamplurima reperiantur, quæ quotidiano victu indigent, in concedendis huiuſmodi licentijs certã eiſdem quæſtuantibus regionẽ aſſignari volumus, nè per totam Diœceſim vagentur, & Regularibus victum eleæmoſina quærentibus præiudicium inferatur.

Regulares etiam præcipimus nullatenus ad quæſtuandum admitti, niſi bini incedant; indecens enim eſt, & valdè indecorum religioſo ſtatui regularem ſolum hàc, illàcque curſitare.

Quoniam verò in colligendis eleæmoſinis omnis turpis quæſtus ſuſpicio auferenda eſt, iubemus nè pœnitus collectæ cuiuſuis generis vlli locentur, ſeù vendantur, aut cum ratæ participatione concedantur, quamuis tales ſint, qui conſuetudinis prætextu, quæ corruptela potius dici debet, alijs hominibus ſe eas vendere, locare, aut cum dicta ratæ participatione concedere poſſe contendant.

Et quia malitia, ſeu leuitas nonnullorum eò deuenit, vt eleæmoſinas captandi gratia fidelibus imagines, cruces, coronas,

nas, grana, numiſmata, & alia id genus, tanquam à Summo Pontifice conceſſa; & benedicta diſtribuere, Indulgentias promulgare, verbum Dei prædicare, reliquias, aut imagines Sanctorum oſtentare, vel campanulas deferre audeant; prædicta omnia eis tanquam auaritiæ cauſa introducta interdicimus, & prohibemus; ſecus in eos grauitèr animaduertemus.

De Viſitatoribus Religioſorum. Cap. XXX.

LICET exemptionis priuilegia, præſertim à Iuriſdictione Ordinarij, in locis, quibus decenti Religioſorum numero Regularis viget obſeruantiæ inſtitutum, cum patientia tolerentur, maximo tamen detrimento ſunt in ijs; vbi paucorum eorundem reperitur familia, cum anſam præbeant laxioris vitæ, & eccleſiaſticæ tranquillitati plerunq; aduerſentur, vt certè D. Bernardus ad Eugenium, & pluribus in locis Sac. Conc. Trident. teſtatur. Quod prouidè, & maturè perpendentes fœl. recordat. Gregorius XV. & Sanctiſſ. D. N. Vrbanus Papa VIII. operæ pretium exiſtimarunt huiuſmodi exemptos nonnunquam ordinariæ iuriſdictioni ſubijcere. Quapropter eorum Pontificijs ſanctionibus, noua Monaſteria, ſeu Conuentus, domos, Congregationes, vel Societates Religioſorum, ſeu Regularium quorumcunq; in quibus ſingulis duodecim ſaltem Fratres, vel Monachi, ſeu Religioſi non degunt, & ex redditibus, & conſuetis eleæmoſinis, detractis omnibus ordinarijs, & extraordinarijs oneribus competentèr ſuſtentari valeant, ordinarij loci viſitationi, correctioni; atq; omnimodæ iuriſdictioni ſubiecerunt, & ſubiecta declararunt. Quare, nè à recta viuendi ratione declinetur,

tur, & diſtricti iura regiminis perdantur, cum pro noſtro Paſtorali munere dicta Monaſteria, Conuentus, domos, vel Societates vt ſupra poſt dictas Conſtitutiones in Ciuitate, & Diœceſ. noſtra erect. vel in futurum erigen̄., recognoſcere, & viſitare quotannis deberemus, ſed tam ſaluberrimum opus, tum Diœceſis amplitudine, tum graui negotiorum mole depreſſi, per Nos obire nequeamus, hanc noſtræ ſollicitudinis partem, Viſitatori noſtro Generali, & Vicarijs foraneis in Diœceſi (de quorum pietate, & prudentia plurimum confidimus) cogimur demandare, prout præſenti Synodali Decreto diſtrictè mandamus, eiſdem iniungentes, vt in eorum Plebibus ſingulis annis, non tàm ordinaria noſtra, quàm Apoſtolica Nobis delegata auctoritate, & toties, quoties opus fuerit, ſupraſcripta loca, & perſonas in eis degen̄., quàm diligentiſſimè, & accuratiſſimè viſitent, eorum vitam, mores, & conuerſationem perſcrutando, circa ea, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, cultum diuinum, & ad Miſſarum, & aliarum piarum voluntatum ſatisfactionem pertinent, inquirendo, & deniq; obſeruando num ſicut perfectionis ſtatus vitam profitentur, ita etiam perfectiori, & promptiori modo ſint Nobis, mandatiſq; noſtris obſequentes. Si quid autem contrà regulam ſuæ profeſſionis ommiſſum, vel commiſſum repererint, cum omni charitate, obiurgent, corrigant, & etiam puniant, præterquam in grauioribus exceſſibus, quorum cognitionem, & correctionem Nobis, vel Vicario noſtro Generali reſeruamus. Statimq; peracta Viſitatione ad Nos omnia deferāt.

Potiſſimum etiam inuigilent, & prouideant nè iuriſdictio noſtra Epiſcopalis, quàm pleniſſimam in huiuſmodi Religioſos habemus in aliquo violetur, aut aliquod detrimentum, vel præiudicium patiatur.

Ad

Ad ſtudium ſacrorum Librorum Religioſos hortentur, & vbi Bibliothecæ ſunt conſeruentur, & quotannis augeantur, vbi verò non ſunt, inſtituantur.

Curent, vt hoſpitalitas in dictis Monaſterijs, & domibus, ſi quando occurrerit, ita exerceatur, nè fortè magis publicis tabernis, quam religioſorum hominum conuentibus comparentur.

Et licet permultis varijsq; alijs in caſibus regulares huiuſmodi ordinariorum iurisdictioni ſubijciantur, eos tamen hic ſigillatim recenſere conſultò prætermittimus, quoniam Viſitatoribus noſtris, quibus ſolis neceſſaria eſt eorum cognitio, ad rectè ſibi demandatum munus exequendum, plenam dabimus inſtructionem.

In cæteris autem antiquis Religioſorum Eccleſijs eiſdem Viſitatoribus præcipimus, vt diligentèr aduertant an ea, quæ à Viſitatione Apoſtolica pro eorum munere præſcripta ſunt, executioni mittantur, alioquin auctoritate Nobis tradita ad executionem compellant; & demum in verè contumaces animaduertant.

Interim verò Religioſos omnes in Domino cohortamur, & monemus, vt memores vocationis ſuæ opportuno vitæ, & morum exemplo eandem Viſitationem præueniant; ac tàm ipſi, quàm cæteri Regulares priuilegijs ſuis moderatè ad ædificationem, non ad deſtructionem, & eccleſiaſticarum rerum confuſionē vtantur.

De ijs, qui habitum Religionis 'd miſerunt. Cap. XXXI.

A *Suaui Religionis iugo deuiare maximè periculoſum eſſe conijcitur. Cum itaq; hoc noſtro calamitoſo tempore, quo omnia in deterius labuntur, plures Religioſi, prætextu præſertim, quod iuxtà Sac. Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum*

diſpoſitionem, debitam profeſſionem in locis deputatis non emiſerint, vel per annum in eiſdem non perſeuerauerint, habitum regularem dimiſerunt, & habitum Clericorum, & forſan laicorum ſuſceperunt, ſubreptitia, vel obreptitia reſcripta, aut decreta interdum doloſè reportando à Iudicibus, ad quos hac de cauſa confugerunt, Nos vt Ciuitatem, & Diœceſim noſtram ab huiuſmodi ſuſpectis hominibus liberam, & immunem, quantum poſſumus, ſeruemus; Monemus omnes, & ſingulos, qui habitum regularem depoſuerunt, vel impoſterum deponere contigerit, vt termino dierum quindecim, poſtquam ad hanc Ciuitatem, vel Diœceſim peruenerint, coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali compareant, & dictas ſuas prætenſas diſpenſationes, & habilitationes cum proceſſibus inde ſecutis exhibeant, nec non & fidem de vita, & moribus iuramento firmatam à Superioribus ſuis in forma probante afferant, & ſi ſacro Ordine initiati extiterint, ſufficiens patrimonium ad præſcriptum Sacri Concilij Tridentini habere doceant, vt degustatis cauſæ meritis, & cognitis eorum moribus deliberare poſſimus an ſint admittendi, vel ex hac Ciuitate, & Diœceſi eijciendi.

Parochis etiam, & Eccleſiarum quarumcunque Rectoribus in virtute Sanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipimus, nè in eorum Eccleſijs dictos celebrare, aut aliquod eccleſiaſticum officium exercere permittant, niſi de ſpeciali noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis obtenta; ſecus tàm admittentes, quàm admiſſi graui pœna arbitrio noſtro punientur.

De

De Immunitate, & Iuriſdictione Eccleſiaſtica. Cap. XXXII.

GRaue eſt, atq́, immane facinus, quod ſæpius committi intelleximus, vt Clerici, alijq́; eccleſiaſtici homines redditibus, & prouentibus eccleſiaſticis ſuſtentati, eorumq́; ſtatus, & propriæ dignitatis immemores, immunitatem, & iuriſdictionē eccleſiaſticam violare, vel alios ad violandũ, vel impediendum inducere nõ vereantur, cum potius eius acerrimi defenſores eſſe deberẽt. Quare nè delictum tam enorme, ac Eccleſiæ Dei, & iuriſdictioni eccleſiaſticæ pernicioſum, impunitũ remaneat, quicunq́; Clericus cuiuſuis gradus, conditionis, & dignitatis palàm, vel occultè per ſe, vel alium, directè, vel indirectè Iudices ſæculares contra eccleſiaſticā libertatem, & immunitatem inflammauerit, aut ipſis conſilium, vel auxilium dederit, excommunicationis ſententia ipſo facto innodatus exiſtat, & à beneficiorum fructibus, ſi beneficia obtineat, per trienniũ ſit ſuſpenſus, ita ut eos tuta conſcientia ſibi retinere non liceat, ſin autem, ad beneficia inhabilis per idem tempus reddatur. Eandem etiam excommunicationem ad laicos quoſcunq́; ſimilia patrantes extendi volumus, & declaramus.

Quoniam locorum Sacrorum, rerum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum immunitates, & priuilegia non ſolum à Summis Pontificibus, ſed etiam à Supremis Principibus iure meritò conceſſa, hodie paſſim, nulla habita cenſurarum ratione violantur, animaduertant Iudices ſæculares, nè quid contrà Conſtitutionem Gregorij XIV. propria auctoritate committant, præſertimque extrahendo laicos criminoſos, & delinquentes; ſed ſi quid occurrat, ad Nos, vel Vicarium noſtrum Gener. referant; Secus

enim ſe illicò cenſuris in dicta Bulla, & alijs Conſtitutionibus Pontificijs contentis, irretitos eſſe ſciant; ſibiq; ante oculos propo- nant memoranda Eutrepij, & Stiliconis exempla, quorum pri- mus cum apud Arcadium, alter apud Honorium tanta pollerent auctoritate, vt vniuerſos Barbaros, & Romanos ſibi haberent obſequentes, & eoſdem Imperatores ad leges contrà immunita- tem eccleſiaſticam ferendas induxiſſent, iuſto tamen Dei iudicio effectum eſt, vt eorum vterq; gratia Imperatorum deperdita, ad Chriſti Altare profugi, neceſſitate coacti ſint conſiteri Chri- ſti potentiam, & Eccleſiæ clementiam, quæ infeſtatores ſuos eb- tecto ſcuto protegeret.

Vt autem audaciam, & temeritatem eorum reprimamus, qui auctoritatem Officialium, Notariorum, aliorumq; Miniſtro- rum, & Apparitorum Curiæ noſtræ impedire, vel eis iniuriam, aut offenſionem aliquam irrogare, vel ad id conſilium, & auxi- lium præſtare non verentur, quominus eorum iurisdictione, & officio liberè vtantur, excommunicationis ſententiam in eos ip- ſo facto incurrendam præſenti Synodali Conſtitutione proferi- mus, quam tamen eos afficere non intendimus, qui ab Apparitori- bus, aut Seruitoribus capiuntur, vel ad Curiam capti ducun- tur. Vniuerſitatem verò, locum, Commune, vel Collegium, ſi prædictorum aliquid commiſerit, interdicto ſupponimus; A quibus cenſuris Nobis inconſultis, ac niſi præuia ſatisfactione, neminem abſolui poſſe declaramus.

Citationes, & proceſſus fori laicalis pro criminalibus condem- nationibus, bannis, & alijs quibuſcunque, quæ à Iudicibus Secu- laribus decernuntur, nullo modo impoſterum Eccleſiarum valuis affigantur, cum loci immunitati, & Sacrorum Canonum diſpoſi- tioni repugnet.

De

De Interdictis, & Excommunicatis.
Cap. XXXIII.

QVIA ſæpè contingit multos grauia delicta committentes, quibus interdum obuiam itur cenſuris, alijsq; pœnis eis debitis, & à iure ſtatutis, fucis, & vanis coloribus diſſeminare, vel quærulo:è conqueri de iniuſta, vel inualida cenſurarum innodatione, vt ſaltem ab hominibus eiſdem cenſuris irretiti non reputentur, & cum eis communicandi non præcludatur aditus. Quod vt plurimum accidit cum ijs, qui ob Paſchale præceptũ non adimpletum interdicti publicati aſſerunt, nullius eſſe roboris cenſuram, quoniam eos ſpecialis admonitio non præceſſit. Nos igitur huiuſmodi ſubterfugijs occurrere volẽtes præſenti hac noſtra Synodali Conſtitutione formulã admonitionis à Parochis contrà nõ communicantes tempore Paſchatis facieñ. & obſeruañ. præſcribimus, quã eandem vim, & robur habere volumus, & declaramus, ac ſi perſonaliter admonendis intimata foret. Qui igitur hac admonitione facta in contumacia perſeuerauerint, ad Nos, vel Vicarium noſtrum Geñ. eos quamprimum, vnuſquisq; Parochus deferat, vt ab ingreſſu Eccleſiæ, & eccleſiaſtica ſepultura interdicantur.

MONITIO

Facienda ab omnibus Parochis inter Miſſarum ſolemnia contra non communicantes tempore Paſchatis.

S'Auuiſano tutte le perſone di queſta Parochia, che ſecondo il precetto di S. Chieſa deuono communicarſi alla Paſqua, che ſe per tutta Domenica proſſi-

ma

ma non hauranno pienamente ſodisfatto, ouero riportata proroga, ſaranno d'ordine di Monſig Veſcouo interdetti dalla Chieſa, nè più potranno interuenire alla S. Meſſa, ò altri Diuini Officij, e contrafacendo, peccaranno ogni volta mortalmente, nè in preſenza loro ſi potrà celebrare, nè morendo ſi potranno ſepelire in luogo ſacro. E paſſato detto termine, che ad ogn'vno s'aſſegna per prima, ſeconda, terza, e perentoria monitione canonica, ſaranno per nome, e cognome interdetti, publicati, & affiſſi alle porte della Chieſa. Che però s'eſſorta ogn'vno à ſodisfare al debito.

FORMVLA

Denuntiandi Interdictos à Parochis.

PER ordine di Monſig. Veſcouo di Como ſi dichiarano, & denuntiano interdetti dalla Chieſa, & ſepoltura Eccleſiaſtica gl'infraſcritti, per non eſſerſi communicati alla Paſqua proſſima paſſata, conforme al commandamento della S. Madre Chieſa.

Cedula deinde affigatur, Regularibus, & alijs eccleſiaſticis Parochiæ, ſeu loci copia tranſmittatur, & altera vna cum die, menſe, & anno ab ipſomet Parocho cuſtodiatur.

Qui interdicti, vel excommunicationis vinculo innodati, dum ſacra peraguntur Miſteria in Eccleſia, in cenſurarum ſpretum, & eorum animarum grauius detrimentum introire, vel ibi commorari præſumunt, ab hoc graui ſcelere abſtinere debent; Alitèr moniti, vt exeant, & non obtemperantes, ſciant ſe incurrere

excom-

excommunicationem Papæ reſſeruatam, à quo etiam tantummodo poſſunt abſolui. Eccleſiaſtici verò tàm ſæculares, quàm regulares non admonentes vt exeant, nec ceſſantes à diuinis illis præſentibus, interdicti cenſura innodantur. Qui verò interdicti, vel excommunicati fuerint, niſi reſipiſcant, ſaltem bis in menſe Parochi Dominicis diebus infrà Miſſarum ſolemnia denuntient, vt rubore perfuſi citius ad S. Matris Eccleſiæ gremium reuertantur. Clem. grauis. de ſēten. exco. c. Epiſcoporum de priuil. in 6.

Valdè etenim dolendum eſt in hæc mala tempora Nos incidiſſe, vt à compluribus excommunicatio paſtoris paruipendatur potiùs, quàm timeatur, cum plerique ſint, qui excommunicationis ſententiam negligant, quam revereri, & formidare deberent etiam iniuſtam: Nulla enim maior pœna in Eccleſia Dei reperitur. Quamobrem Parochos, & Concionatores omnes vehementer hortamur in Domino, vt quoties ſeſe occaſio obtulerit, eius grauitatem inculcent Sanctorum Patrum exemplis, & præſertim ſingulari illo pijſſimi Theodoſij II. Imperatoris teſtimonio, qui etſi à Monacho nullo iure fulcito, ob neſcio quid ei non conceſſum, interdictus communione fuiſſet, cibum tamen ſumere noluit, quia prius ab eodem Monacho, communioni reſtitutus fuiſſet, vt timore perculſi eam vereantur, ne vt putridum membrum ab Eccleſiæ corpore reſſecentur. Baro. ao. Eccl. 425.

De Viſitatoribus Carceratorum. Cap. XXXIV.

CVM tàm miſerabilium perſonarum cauſa, quam egenorum, & maximè carceribus mancipatorum ad Epiſcopi curam Sacrorum Canonum iure pertineant, congruum eſt, ac pietati conſonum in hac noſtra Synodo etiam ijſdem prouidere, præſertim

cum in Ciuitate, & Diœceſi noſtra, vbi quamplurima Tribunalia Sæcularia reperiuntur, maximæ neceſſitatis eſſe compererimus. Nos igitur præcepti Dominici, & Concilij Aurelianeñ. Quinti memores toto cordis affectu partes noſtras interponere volentes, & egentium in carceribus detentorum miſeriæ, atq; inopiæ, quantum cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, in Ciuitate noſtra aliquos probos, & pietate conſpicuos viros deputabimus: In Diœceſi verò Archipræsbyteros, ſeu Vicarios Foraneos huic rei præficimus, quorum cura ſit in carcere coniectos ſæpius viſitare; nè Miſſæ ſacrificio ſaltem diebus feſtis careant, prouidere; Confeſſarium eiſdem offerre; Concionatorem interdum mittere; curare, vt Sacra Communione in Paſchate, ac ſolemnibus diebus reficiantur, & ijsdem ex charitatis operibus medicamenta, & alia neceſſaria ſubminiſtrentur, ac demum reliquas eorum neceſſitates ad Nos defferre, vt eleæmoſinis, & ſubuentionibus opem, & auxilium pro viribus noſtris impendamus.

Horum etiam Viſitatorum partes erunt apud Iudices ſæculares eorum cauſas quam celerrimè expediendas commendare, Aduocatos, & Procuratores ad patrocinandum animare, Cuſtodes ad benignè tractandum cohortari, ijs omnibus meritum non exiguum præponendo, quod ex talibus conſequentur.

Si porrò in carcere conſtitutos malè ſe gerere conſpexerint, vt admonitione, ac correctione dignos cognouerint, eos, prout opportunitas tulerit, moneant, obiurgent, & corripere non deſiſtant. Et ſi quid aliud emerſerit, quod acriori remedio indigeat, ad Nos, aut Vicarium noſtrum Geñ. quam citiſſimè referant.

De

De Archiuio. Cap. XXXV.

CUM non exiguum detrimentum afferat publicarum ſcripturarum nulla, vel minima cura, quam ob cauſam, vel multæ ſcripturæ depereunt, vt in noſtro Epiſcopali foro accidiſſe perſpicuum eſt, aut difficillimè reperiantur, vt non modicam eis indigentibus tribuant animi moleſtiam, ideò ad eas recondendas Archiuia prudentèr inſtituta ſunt, & iniuncta, vt etiam Viſitatione Apoſtolica demandatum eſt; Quod cum hactenus non ſine maximo Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis noſtræ detrimento executioni demandatũ minimè fuerit, perſpicientes dilationem rei tam neceſſariæ, præſertim in hac ampla Diæceſi damnificã, & in dies pernitioſam fore; Nos, qui quamplurimas ſcripturas, magno cum diſpendio, & diligentia in vnum coegimus ad Menſæ Epiſcopalis, & totius Eccleſiaſtici ſtatus vtilitatem, illud etiam inſtituere, eiq; locum particularem in Palatio Epiſcopali noſtro aſſignare decreuimus. Quare cum inibi aſſeruari debeant quæcunque ſcripturæ tàm publicæ, quàm priuatæ ad eccleſiaſtica negotia quomodolibet ſpectantes, & ne de ijs reponendis in eodem Archiuio aliqua oriatur dubitandi controuerſia, vel de ſcripturarum aſſeruandarum qualitate prætendeatur ignorantia, reſcriptum à Sacr. Congreg. Conc. Trident. reportauimus, quod in calce præſentis Decreti apponi iuſſimus.

Præter ea igitur, quæ à Viſitatione Apoſtolica de Archiuio condendo ſancita ſunt, volumus, quod Cancellarij, Notarij, & Actuarij Curiæ noſtræ tàm præſentes, & futuri, quàm præteriti, ac quicunq; ab eis cauſam habentes, vel apud ſe retinentes ſcripturas ad eccleſiaſticum forum ſpectantes termino vnius anni

Ex Ordinibus Archiuij Roman. prima Sept. 1625.

illas in Archiuio deferre cum effectu teneantur, quo elapſo ſcripturas eiuſmodi non repoſitas, ſed apud eos retentas, & cauſarum occaſione in foro forſan producendas, nullam fidem facere, aut ad probandum per Miniſtros, & Officiales noſtros admitti poſſe decernimus.

Violatæ Religionis acta in loco ab alijs ſeparato aſſeruentur, cuius clauis pœnes Vicarium noſtrum Gener. retineatur, ſine cuius præſentia huiuſmodi acta videri, ab aliquo etiam Notario, non poſſint.

Vt autem nè dum ſcripturarum ſecuritati, verum & hæredum, aut Notariorum indemnitati conſulatur, præcipimus, vt Archiuij Præfectus Codicem apud ſe habeat inſcriptum (De Notarijs Creditoribus) *in quo non tantum ſcripturæ extractæ notentur, verùm etiam emolumenta, quæ percipere contigerit, fidelitèr deſcribantur, vt ijſdem Notarijs, aut hæredibus, iuſtitia ſic exigente, conſignentur. Quod ſi dicti Archiuij Præfecti incuria, vel negligentia merces conſueta non ſoluatur, ad ſatisfaciendum de proprio teneatur.*

Ignem, candelam, ſeù lucernam ardentem in Archiuio deferre cum periculoſum valdè ſit, & de facili ſcripturarum iactura poſſit euenire; ideò in Archiuio nullo vnquam tempore ſub pœna Nobis arbitraria deferatur, & per Archiuiſtam de fidelitèr ſuo munere exercendo iuramentum præſtetur.

RESCRIPTVM SAC. CONGREGATIONIS.

ILluſt. e Molto Reu. Monſig. come fratello. Quì accluſa V.S riceuerà la copia d'vn decreto, col quale la Sac. Cong del Concilio hà diſtinte, e dichiarate le ſcritture, che neceſſariamente deuono reſtare, & aſſeruarſi

ne

ne gl'Archiuij, e Cancellarie Epiſcopali. Con queſta dourà V. S. regolarſi in ricuperar quelle, che ella pretende eſſere in mano di coloro, che per i tempi hanno maneggiata coteſta ſua Cancellaria. Ch'è quanto hò da dirle à nome della Sacra Congregatione per riſpoſta al queſito, ch'intorno à ciò n'è ſtato fatto per parte di V. S., e Dio la preſerui. Di Roma li 18. Decembre 1626.

D. V. S.

Come fratello

Laudiuio Cardinale di S. Siſto.

P. Fagnanus.

A tergò. All'Illuſtre, e M Reuer. Monſig. come Fratello, Il Veſcouo di Como.

SCRIPTVRAE INFRASCRIPTAE, ET ALIAE,
Si quæ rogatæ fuerint à Cancellario Epiſcopali, tanquam Cancellario illius Curiæ in Cancellaria ipſius Epiſcopi aſſeruari, & cuſtodiri debent.

Proceſſus, & acta ciuilia, criminalia, & mixta facta in foro Epiſcopali.

Sententiæ in ijsdem cauſis latæ.

Compoſitiones cum reis inquiſitis in Curia Epiſcopali.

Præcepta, & decreta quæcunq; inter perſonas eccleſiaſticas, aut etiam laicas in cauſis, & negotijs ſpiritualibus, vel alias ad forum eccleſiaſticum pertinentibus.

Edicta cuiuſuis generis.

Statuta, & ordinationes Eccleſiarum.

Mandata procuræ pro gerendis negotijs Epiſcopatus.

Scripturæ mulctarum, & pœnarum.

Item ſupplicationum, & abſolutionum.

Acta Synodi.

Viſitationes Eccleſiarum, Monaſteriorum, & piorum locorum, earumq; decreta.

Regiſtra Bullarum Apoſtolicarum ad eandem Curiam directa.

Collationes, & inſtitutiones beneficiorum, eorumq; concurſus, & renunciationes, ac permutationes, & ſcripturæ omnes beneficiales.

Inſtrumenta traditionis poſſeſſionis eorumdem beneficiorum.

Erectiones Parochialium, beneficiorum, Cappellaniarum, & fontis baptiſmalis.

Acta cognitionum, canonizationum perſonatus tam eccleſiaſticorum, quàm laicorum, ſeu mixtorum.

Scripturæ concernentes executionem diſpenſationum matrimonialium, & aliarum litterarum Apoſtolicarum.

Remiſſiones denunciationum, diuortia, & aliæ ſcripturæ matrimoniales.

Explorationes voluntatum nouitiarum, licentiæ profitendi, & aliæ huius generis ſcripturæ ad Monaſteria Monialium ſpectantes.

Interpretationes auctoritatis, & decreti in renunciatione nouitiorum, & alienationibus aliarum perſonarum fori Epiſcopalis, & inſtrumenta dotis Monialium.

Licentiæ accedendi ad Monaſteria Monialium, aut in ea ingrediendi.

Scripturæ conſecrationis Eccleſiarum, Altarium, Cœmiteriorum, Campanarum, & huiuſmodi.

Item profeſſiones Fidei.

Item ſcripturæ Viſitationis liminum.

Scripturæ ordinationum, & collationis Chriſmatis.
Moniteria ad finem reuelationis.
Approbationes Confeſſariorum, & Curatorum.
Dimiſſoriæ, & Commendatitiæ.
Licentiæ pro Parochis, Canonicis, & alijs Clericis abſcedendi à Diæceſi cum litteris teſtimonialibus.
Scripturæ erectionis, & inſtitutionis Seminarij.
Item locationis in emphiteuſim bonorum Epiſcopatus, Feudaliũ eiusdem Menſæ, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum.

Laudiuius Cardinalis S. Sixti.

De Feudis. Cap. XXXVI.

QVamplurima bona, & Iura feudalia, & regalia, eaq; maximi pretij poſſidet Eccleſia noſtra Cumana non tam intra fines Ciuitatis, & Diæceſis quàm extrà, quæ liberalitate, & beneuolentia prædeceſſorum Epiſcoporum, temporibus retroactis, præſertim dum Italia ſeditionibus, & ſchiſmate vexaretur, benemeritis perſonis, familijs, & Communitatibus ſub fidelitate, & exhibitione ſeruitiorum conceſſa ſunt. Sed cum eorũ quamplurima proceſſu temporis ab exteris nationibus, & non timoratæ conſcientiæ viris iniuſtè vſurpata retinerentur. Nos huius S. Eccleſiæ, & bonorum temporalium eiusdem gubernationi, adminiſtrationi, & conſeruationi præpoſiti, memores per Nos iuratæ promiſſionis, totis etiam viribus ſtuduimus noſtræ ſponſæ dotalia iura recuperare, quod profectò præpotentis Dei auxilio, ac B. V. Mariæ Titularis, & Glorioſi Antiſtitis Abundij Tutelaris noſtri euenit, dum in hæc uſq; tempora ad quadraginta millia coronato-

rum ex iuribus feudalibus deperditis ſupra hominum memoriam recuperauimus. Verum, nè iam acquiſita dilabantur; & reliqua vſurpata recuperentur, præſentem hunc titulũ de feudis inter alia in hac Synodo noſtra apponere Nobis benè viſum fuit, vt non ſolũ Feudatarij conſcij ſint eorum, quæ præſtare tenentur, verũ etiam ij, qui notitiam aliquam habent de indebitè dicta iura occupãtibus, ſciant ſe reuelationi eſſe obnoxios, ac Parochi, & Confeſſarij animarum ſaluti conſulentes in hac re ad ſedulò inuigilandum adſtrictos ſe cognoſcant.

Moneant Parochi Feudatarios, vel eorũ legitimos hæredes, vt intra tempus à iure ſtatutum, quod eſt anni vnius, & diei ab vltimi inueſtiti obitu, vel à bonorum feudalium emptione, ſeu alio acquiſitionis contractu antequam eorũ poſſeſſionem adipiſcãtur nouas inueſtituras obtineant, & debitum fidelitatis iuramentũ præſtent, illudq; diligentèr obſeruent Noſq; in ſuum verum Dominũ recognoſcant; Alitèr ſciant bona, & iura feudalia ad Menſam noſtram eſſe pleno iure deuoluta, & fructus perceptos, vel in futurũ percipiendos verè non facere ſuos, ſed ad eorũ reſtitutionem teneri, Nobisq;, & ſucceſſoribus noſtris liberũ eſſe huiuſmodi in caſu de dictis feudis, & bonis feudalibus, etiam poſſeſſoribus, aut hæredibus minimè citatis, iuxta antiquiſſimam, & approbatam Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem quomodolibet diſponere, & quibuslibet Nobis, & ſucceſſoribus noſtris benè viſis perſonis concedere.

Nec patrocinari debet præſcriptionis clypeus ijs, qui temerè, vel ignorantèr ex dictis bonis feudalibus decidiſſe, vel ea à maioribus per vſurpationem, vel abſq; debitis inueſtituris accepiſſe conſcij ſunt. Quarè ad tollendam cuiuſuis ignorantiæ notam, & Eccleſiæ iuribus conſulendũ hoc noſtro Synodali decreto commonemus, Eccleſiam noſtrã Cumanam, non ſolũ in omnibus ſuis bonis,

& iuribus quoad præſcriptionem centũ annorum priuilegio, ſicut Eccleſia Romana gaudere, vt Othonis IV. Imperat. diplomate eidem conceſſo colligitur, verũ & ipſo communi iure in bonis feudalibus nullam pati poſſe præſcriptionem, etſi mille annorum, reſpectu directi dominij, & ciuilis poſſeſſionis, quæ ſolo animo retinetur, vt eſt grauiſſimorum DD. ſententia; Quinimmò eos, qui in huiuſmodi errore verſantur, hortamur in Domino, vt eccleſiaſticarum cenſurarum, & præſertim Bullæ in Cœna Domini, nec non & Conc. Trid. decreti memores, propriæ ſalutis rationem habeant, nec temporale ſpirituali bono præferant eccleſiaſtica iura vſurpando, vel violando. Gregorij enim Magni ſentẽtia eſt tranſire in hæreſim obſtinatam occupationem iurium Eccleſiæ, & vt hæreticum eſſe damnandum, qui eiuſmodi errorem monitus non corrigit; Quodq; etiam Hadriani Papæ ad Carolum Magnum reſcripto comprobatur.

Plurima verò cum ſint bonorum feudalium priuilegia, præſertim quod in Fiſcum tranſire non poſſint, nec in excuſſionem venire, & excluſis fœminis, & illegitimis in agnatione permanere, deſpicienda certè non ſunt, ſed magni æſtimanda, quinimmò nè cum alijs confundantur; Mandamus, vt Feudatarij omnes in renouandis inueſtituris omnia bona, eorumq; etiam modernos fines ſingillatim, & nominatim publico inſtrumento deſcribant. Hanc verò præcipuam curam Sindico, & Cancellarijs noſtris diſtrictè iniungimus.

Forma autem Iuramenti per eos præſtandi hæc eſt, videlicet.

IVro ego N. in animam meam ad Sancta Dei Euangelia, tactis corporalitèr manu dextra ſcripturis in manibus, & ad dela-

tionem N. Epiſcopi &c. Iuramentum huiuſmodi mihi deferentis, & acceptantis, quod ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero præfato Reuerendiſs. DD. Epiſcopo, eiusq; Eccleſiæ Epiſcopali Comenſi, & Menſæ, ac cuilibet eius Cattolico Succeſſori canonice intranti auxilium, conſilium, & fauorem, ſi quod à me petierit pro fomento honoris, & boni ſtatus ſui, ac dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis fideliter, & bona fide, ſine fraude dabo, non ero in conſilio, congregatione, liga, aut conſpiratione, vbi contra ipſum Reuerendiſſimum DD. Epiſcopum, & dictam eius Eccleſiam, & Menſam Epiſcopalem Comenſem, aut eius honorem, vel ſua, aut dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis bona tractetur, vbi ipſe Reuerendiſs. DD. Epiſcopus vitam, honorem, aut membrum perdat, vel per quod eiuſdem Reuerendiſs. DD. Epiſcopi, & dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis honoribus, & vtilitatibus derogetur. Non enim quidquam de ipſius Reuerendiſs. DD. Epiſcopi, & dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis Comenſis bonis occupabo, & ſi ex eis quidquam occupabo, illud ſtatim reſtituam, & ſi ſciuero aliquid tractari, conſpirari, aut machinari contra eum prælibatum Reuerendiſs. DD. Epiſcopum, ſiue prædictam eius Eccleſiam, & Menſam Epiſcopalem, vel aliquem occupantem, ſiue occupare volentem de bonis ipſius Reuerendiſs. DD. Epiſcopi, aut prædictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis, id quam citiſſimè potero, ore, ſcripto, vel Nuntio ipſi prælibato Reuerendiſs. DD. Epiſcopo, aut eius procuratori manifeſtare curabo; Feudum, & bona feudalia, de quibus inueſtitus ſum, non vendam, nec pignori obligabo, nec permutabo, neq; in dotem, nec emphiteuſim alicui concedam, vel alias alienabo in toto, vel in parte, absq; ipſius Reuerendiſs. DD. Epiſcopi, vel eius Procuratoris licentia ſpeciali, & ſi in toto, aut

in parte ſupradicta bona alienauero, vel alias in prædictis, aut aliquo prædictorum contrafecero, quod cadam, & cecidiſſe intelligar ipſo facto à iure præſentis inueſtituræ, & ab alio quocunque iure mihi in ipſis bonis ſpectanti, & toties veniam cum armis, & ſine armis in auxilium, & ſeruitium ipſius Reuerendiſſimi DD. Epiſcopi, & dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis, quoties eius parte, aut per Edictum Generale requiſitus fuero, & per hoc præſens Iuramentum tenebor, & obligatus ero prælibato Reuerendiß. DD. Epiſcopo, & dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopali in omnibus ijs, quibus fideles Vaſſalli, & Feudatarij ſuo vero Domino tenentur, & in omnibus, & per omnia iuro Ego antedictus N. prout iurare requiritur ex vtraque forma iuramenti tàm noui, quàm veteris, meq; pro præmiſſis obſeruandis iurisdictioni præfati D. Epiſcopi, & dictæ eius Eccleſiæ, & Menſæ Epiſcopalis ſubmitto.

De Cauſis Eccleſiaſticis: Cap. XXXVII.

NIHIL Nobis antiquius fuit, & cordi inſedit, quam non minus ad Nos, ſeu Tribunal noſtrum ſpectantia tueri, quam aliena etiam illæſa conſeruare, cum hoc recto procedendi modo iuſtitia non tantum foueatur, verum etiam cum laicali foro concordia ſeruetur. Quamobrem ſicut Officialibus Curiæ noſtræ diſtrictè præcepimus, nè laicorum cauſas ſuſcipiant iudicandas, ita ſæcularis fori Iudicibus, & perſonis quibuſcunq; prohibemus ne & ipſi in cauſis ad forum noſtrum Eccleſiaſticum quomodolibet ſpectantibus ſe immiſceant cum ipſemet Theodoricus Rex, licet Arianus hæreticus in huiuſmodi cauſis, & eccleſiaſticis negotijs nihil ad ſe pertinere præter reuerentiam, dixerit. Cum

autem ad Tribunal noſtrum non modò cauſarum merè ſpiritualium ex ſui natura, & aliarum ex ſpiritualibus dependentium, verum etiam mixtarum, quæ ſcilicet temporale aliquod ſpirituali annexum habent, cognitio ſpectet, aliqua de mixtis, & ad forum noſtrum ſpectantibus hic placuit apponere, cum primæ, & ſecundæ ad eundem pertinere de per ſe pateant, & nonnulli reperiantur laici Iudices in Diœceſi noſtra, qui in Canonici iuris ſcientia non ſunt admodum verſati.

Mixtæ igitur cauſæ ſunt beneficiales, Iurispatronatus, fundationum, feudorum eccleſiaſticorum, decimarum tàm in poſſeſſorio, quàm in petitorio, omnium quoque iurium, ſeruitutum, redditunm, & prouentuum quorumcunq; eccleſiaſticorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Oratoriorum, fabricarum, & aliorum locorum piorum, teſtamentorum, & legatorum ad pias cauſas. Item cauſæ omnes, quæ contrà Clericos mouentur, ſiue reales, ſiue perſonales, ſiue ciuiles, ſiue criminales ſint, etiam ſi eorum hæreditates, & bona concernant. Item cauſæ iniuriarum, quibus perſonæ eccleſiaſticæ à laicis afficiuntur. Cauſæ inſuper viduarum, & miſerabilium perſonarum, atque eorum, quibus iuſtitia ab alijs denegata fuit. Item laicorum, qui in obligationibus ſuis ſæculari foro renuntiauerunt, & noſtram eccleſiaſticam iuriſdictionem prorogarunt, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles, quas Sacri Canones non niſi in foro Eccleſiaſtico ventilari, & determinari conſtituunt. Licet enim ex accidenti circa aliquod temporale verſentur, tamen omni iure acceſſorium ſequitur naturam principalis, magiſq; dignum trahit ad ſe minus.

In huiuſmodi autem caſibus, ſi cauſæ ad forum noſtrum adducantur, mandamus Vicario, & Officialibus noſtris, vt nullis

attentis

attentis declinationibus, proteſtationibus, appellationibus, & alijs exceptionibus quibuſcunq; procedant, easdemq; vti Iudices cõpetentes determinent, & decidant. Nos enim Synodali hac noſtra conſtitutione, ſolemnitèr proteſtantes, & interrũpentes quoſcunq; actus, conſuetudines, vel potius corruptelas, per quoſcunq; Iudices ſæculares, hucusq; forſitan motas, aut prætenſas eorum turbationibus, & attentatis eccleſiaſticæ noſtræ Iurisdictioni nihil irrogatum eſſe volumus, & declaramus.

Hortamur igitur in Domino omnes Iudices, & Magiſtratus ſæculares, vt ſuæ vocationis memores, falcem in alienam meſſem non immittant, noſtramq; iurisdictionem Eccleſiaſticam minimè perturbent, præ oculis ſemper habentes grauiſſimum illud Sac. Conc. Trident. Decretum contrà Eccleſiaſticæ iurisdictionis violatores, & exempla, quibus eos Deus interdum ſeueriſſimè puniuit.

De Foro Epiſcopali. Cap. XXXVIII.

VIcarius Generalis, qui noſtram repræſentat perſonam, volumus, vt non ſolum Eccleſiaſticis, & Officialibus noſtris vitæ honeſtate, & diligentia præluceat, dignitatemq; ſuam grauiſſimè tueatur, verum etiam omnes lites, & actiones ſine longiori mora, breuitèr, & maturè ſeruato iuris ordine expediat.

Vicarius Monialium ipſe quoq; officij ſui partes non ignoret, cũ ei cura tam grauis, & quæ Nobis maximè cordi eſt, demandata ſit. Sedulò itaq; inuigilet in ijs, quæ in Monaſterijs Monialium emergunt, ſæpius eadem viſitando, & regularem obſeruantiam inculcando ea, qua decet, grauitate, & modeſtia, quæ vbiq; locorum, ſed præſertim in his maximè neceſſaria eſt.

Viſitator

Viſitator Generalis, cuius munus, & officium eſt reformare, & bonas leges alijs præſcribere, quod factu facile eſt, ipſe quoq; ſuos mores componat, grauitatemq; in omnibus, maximè verò in verbis, geſtibus, & veſtitu conſeruet, neminem ſumptibus ſuperfluis grauet, in viſitatione nihil poſtulet, aut accipiat præter moderatum victum, & viſitationis ſumptus neceſſarios. Diligentèr tàm in decretorum Apoſtolicæ Viſitationis, quàm noſtræ, & prædeceſſorum noſtrorum executioni inuigilet; exceſſus corrigere, emendare, ac punire omni ſollicitudinis ſtudio procuret, totamq; Viſitationis ſuæ ſeriem in ſelectis Plebium quinternis ſcripto referat, vt quod in grauioribus caſibus ſtatuendum ſit, maturè deliberare valeamus.

Fiſci Aduocatus, ſeu Procurator cauſas omnes ad Fiſcum, & Curiam tangentes protegat, & defendat; proceſſus accuratè videat; Iura proponat; In cunctis inuigilet, & ſingulis hebdomadis ſemel ad minus acta omnia criminalia, ſeu Fiſcum tangentia recenſeat; ad contumatiùs aduertat, & illas exequi faciat.

Promotor legatorum, & cauſarum piarum, cuius officium à Nobis in Curia noſtra inſtitutum eſt, ea, quæ par eſt, ſolertia, ac diligentia pia legata, & vltimas voluntates debitæ executioni demàndari curet, & librum habeat, in quo omnia inſtrumenta, quæ vndecunque colligi poterunt, ac notificationes relictorum piorum ordine exarentur, ſuarum cauſarum notulam teneat; illamque & ipſe ſaltem bis in hebdomada præuideat, & coram Vicario noſtro Generali opportunè, & importunè inſtet pro earum expeditiòne, nè defunctorum animæ votorum plenitudine, & neceſſaria ſpirituali alimonia defraudentur.

Depoſitarius mulctarum Curiæ noſtræ librum, & ipſe habeat

chartulatum, in quo ſcribat diligentèr recepta, & data, cauſas mulctarum, & eorum applicationes, quas pijs locis, aut operibus de mandato noſtro fieri contigerit. Filciam ſimilitèr teneat, in qua mandata noſtra, aut Vicarij noſtri Gener. reponantur, ac ſingulis ſex menſibus computorum rationes reddat coram Vicario, adhibito etiam Fiſci Aduocato, & alijs pijs viris à Nobis deputandis. Conſolidatio computorum à Vicario ſubſcribatur, Nobiſq; poſtea ſtatus ſummariè referatur.

Sindicus, & Procurator Menſæ noſtræ Epiſcopalis curet diligentèr, vt inueſtituræ, & feudales recognitiones, quæ plurimæ sũt, & ad eius officium peculiaritèr pertinent, cum eorum finibus, & per nouas coherentias deſcribantur. Ad eorũ deuolutiones aduertat; locationes, confeſſiones, cæteraq; acta, & instrumẽta ad Menſam noſtrã Epiſcopalem ſpectantia vna cum anno, menſe, & die in librum referat in particulari Archiuio Curiæ noſtræ cuſtodiendum; & ſaltem ſemel in anno ædificia, loca, cæteraq; bona ad Menſam noſtram pertinentia viſitet, & quæ reſtauratione indigent, reſtaurari curet, & ad Nos, ſi quid emerſerit, referat.

Archiuiſta quoq;, ſeu Archiuij Præfectus, pratèr ea, quæ ad eius officium ſpectare per Viſitationem Apoſtolicam, & per ea, quæ per Nos in eius titulo conſtituta ſunt, librum & ipſe pænes ſe habeat, in quo ſcripturas omnes in Archiuio repoſitas, & reconditas, ſeù recondendas, alphabetico ordine regiſtret, eorumq; originalia nemini tradat, niſi noſtra, ſeù Vicarij noſtri Generalis licentia.

Actuarij fidelitèr acta per ſe ipſos conſcribant, & ſi per alios, ſtatim ſua manu ſubſcribant. Scribas, & Subſtitutos idoneos, ac fideles habeant; Verum abſq; licentia Vicarij noſtri Gener. non admittantur. Proceſſus originales, & acta omnia

pænes

pænes ſe retineant, nec partibus aliquo pacto confidant; Aduecatis verò, & Procuratoribus, niſi de Vicarij licentia, & cum annotatione in quinterno ad id ſpecialitèr deſtinato. Proceſſus cauſarum diligentèr, & cum deſcriptione particulari cuiuslibet actus in margine, & benè ſutos, ac per numerum pagellarum diſtinctos ordinent, & cuſtodiant.

Cancellarij quoq; ſemper eorum officio aſſiſtant, ne eorum abſentia ad Curiam confluentium expeditiones retardentur. Regeſtum habeant, in quo ſeparatim patentes litteræ, cæteraq; acta, antequam partibus conſignentur, deſcribantur. Quæ gratis concedenda ſunt, non tantum gratis dentur, ſed etiam celerrimè expediantur.

Curſor etiam à Vicario Gener. & Officialibus noſtris quamprimum deputetur, qui clericali tonſura ſaltem initiatus exiſtat, eiq; competens ſalarium de pecunijs ex mulctarum occaſione prouenientibus aſſignetur. Eius officium erit proceſſus, & citationes Curiæ noſtræ, prout neceſſitas tulerit, exequi, & præſentare, nè iuſtitia interdum cum iurisdictionis noſtræ præiudicio retardetur. Eidemq; Curſori de executione facta credatur, diemq; menſem, & annum eiusdem executionis factæ, atq; nomen ſuum mandato, vèl eius copiæ diligentèr in hunc ferè modum inſcribat. Executus ſum hoc mandatum, vel edictum Ego N. Curiæ Epiſcopalis Curſor.

Collateralis autem, ſeu Baricellus in cunctis ad eius officium ſpectantibus diligentèr ſe gerat, ſocios neceſſarios, ſeu famulos idoneos in eius Officio ob Diæceſis vaſtitatem, & cauſarum multiplicitatem pro ſeruitijs Curiæ noſtræ continuò, vt hactenus ſeruatum fuit, apud ſe retineat. Quoties requiſitus fuerit, omnes, & ſingulas executiones, tàm reales, quàm perſonales obeat,

obeat, ac relationes in manibus Notarij cauſæ ſtatim deferat, & ſi in ijs aliquid graue emerſerit, Vicarium noſtrum Generalem confeſtim admoneat.

Cuſtos carcerum Curiæ noſtræ, illos ab omni immunditia expurgatos retineat, Carceratos fidelitèr cuſtodiat, & ea, qua poterit, maiori charitate, & chriſtiana pietate eis inſeruiat. Die, noctuq; ſemel, bis, & ſæpius dictos carceres viſitet, & ſi aliquid explorando inuenerit, Vicario noſtro Geñ. denuntiabit.

Prædicti omnes Officiales Curiæ noſtræ ſecreta Tribunalis nemini pandant, capturas exequendas non notificent, aut notificari faciant. Et ſi quis Officialium dictæ Curiæ ſciuerit, aut cognouerit ab alio Officiali aliqua enormia in Officio patrari, ea Nobis, aut Vicario noſtro reuelare teneatur, nè, & ipſe ſocius criminis habeatur.

Ijdem Officiales pro poſſe teneantur ad ea præſtanda, quæ tendunt ad honorem, ſtatum, & licitum commodum ipſius Curiæ, in qua diebus conſuetis, dum Curia eſt regenda, hora ſolita cauſarum conuenire non prætermittant, nec inde recedere, niſi curia abſoluta, audeant, aut præſumant.

A Ciuitate diſcedere, aut Officium per ſubſtitutum eis exercere non liceat, niſi facultate à Nobis, aut Vicario noſtro Gener. impetrata.

Præfinita taxa tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus inuiolabilitèr ſeruetur ab omnibus Officialibus Curiæ noſtræ, ac in Tabella publicè relata, certoq; loco in Curia Epiſcopali in Cancellaria affixa in conſpectu omnium ſit, quo apertius ſciant omnes conſtitutum taxæ modum, quem in ijs cauſis teneri, ac ſeruari volumus.

Aſſumentes Officium in Curia noſtra quiqui ſint, in primis

iura-

iuramentum præſtent de fideliter, & diligenter ſuo munere exercendo ad præſcriptam formam. Vicarius Gener., Vicarius Monialium, & Viſitator in manibus noſtris, cæteri autem omnes in eiusdem Vicarij Generalis manibus coram Notario, & teſtibus; Idq; in Codice ſeparato referatur.

Vicarij quoq; Foranei, ſeu Reſponſales noſtri in Diœc., idem & ipſi præſtent iuramentum, fines iurisdictionis per noſtras patentes litteras ſibi demandat. non excedant, decreta præſertim Viſitationis Apoſtolicæ ad eorum munus ſpectantia obſeruent, librum apud ſe habeant, in quo acta omnia diligenter deſcribant, vt quandocunq; requiſiti rationem adminiſtrationis ſuæ reddere valeant; Proprium Curſorem, etſi Clericum, pro officij ſui executione habere curent; frequenter etiam de ijs, quæ occurrerint, Nos, vel Vicarium Generalem, ſeu Viſitatorem noſtrum litteris certiorem faciant.

De fine Synodi, ac Decretorum obſeruantia. Cap. XXXIX.

HÆC igitur ſunt, quæ hoc potiſſimum tempore, pro Cleri, populiq; Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ reformatione, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruatione, vltra iam in Viſitatione demandata, neceſſaria, & vtilia duximus ſancienda. Quare ab omnibus, ad quos ſpectat, omninò obſeruari mandamus, decernentes, quod tranſacto duorum menſium ſpatio ab eorum impreſſione, & promulgatione arctent quoſcunq; ac ſi ſingulis intimata fuiſſent: Quod vt plenius executioni demandetur præcipimus ſingulis Archipræsbyteris, Prapoſitis, Canonicis, Parochis, Cõfeſſarijs, cæteriſq; beneficiatis, ac in ſacris Ordinibus cõſtitutis, vt

intrà

intrà menſem , poſtquam impreſſa fuerint , illorum volumen pœnes ſe habere teneantur ; relinquentes inſuper in ſuo robore ea, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſancita ſunt , quibus per hæc nihil derogari volumus, niſi in ijs, quæ noſtris quoquomodo aduerſentur.

Summorum item Pontificum pœnas in Sacris Canonibus , ac prædeceſſorum noſtrorum decretis contentas , prætèr illas à Nobis impoſitas , à delinquentibus ſubeundas eſſe declaramus ; Vbi verò appoſitæ non fuerint, arbitratui noſtro infligendas relinquimus; Sicut etiam Nobis ipſis facultatem eas commutandi , moderandi, & augendi, & præſentes Conſtitutiones interprætandi , & explicandi reſſeruamus , ſalua tamen S. R. E. auctoritate , & iudicio , cui omnia in hac Synodo acta , decretaq́; , qua debemus , obedientia, & reuerentia emendanda , & corrigenda ſubijcimus.

FINIS.

Ad Eminentiſs. & Reuerendiſs. DD.

S. R. E. CARDINALES SAC. CONCIL. TRIDENT. INTERPRETES

DE STATV ECCLESIAE COMEN.

LAZARI CARAFINI EPISCOPI, Pro XVI. triennio Relatio.

P*Aſtoralis officij mei munus ſacrorum liminum poſt nonnullas impetratas prorogationes viſitationem perſoluere, Ciuitatiſq; & Diœceſ. meæ ſtatum Sac. huic Congr. poſt earum perluſtrationem recenſere poſtulat, & requirit. Et licet in hæc vſq; tempora id facere diſtuler:m, pratèr tamen opin onem accidit, bellorũ, luis acerbiſſimæ, aliorumq; malorũ iniuria intercedente. Tranquillitate igitur poſt ſæuam hãc tempeſtatem exorta, fluctibuſq; & procellis ex parte mitigatis, nauigium eo tendere duxi, quo me vrget obligatio, impellit neceſſitas. Quapropter Nouo Comeñ Eccleſiæ meæ ſtatum, quam maxima fieri poterit breuitate recenſebo, opem in aduerſis implorans, benignitatem in omiſſis expetens.*

Comum itaq; Ciuitas inter Ciſalpinæ Galliæ Inſubres non obſcura, & ſi non per ampla, longè tamen duorum Pliniorum, aliorumq; præſtantiſſimorum Virorum celebritate illuſtrior, circa fines planè Italiæ ad Aquilonem in confinio Rethiarum ad Montium radices, & Lacus Larij litus ſita ad cancri ſimilitudinem exædificata conſpicitur, cuius ſuburbia hinc inde prominentia, tanquam

brachia placidas Larij vndas confluunt, & excipiunt; Corpus Ciuitatem complectitur; Cauda Mediolanũ verſus protenditur. Muris eſt circumſepta lapideis, ijsq; affabrè factis, & politis. Solo gaudet non valdè ſpatioſo, ſed tamen amæno, & tam benè diſpoſito, vt oculorum obtutus in ſcenæ ſimilitudinem ſeſe offerat inſpiciendum. Ciuium etiam copioſo, duodecim videlicet millium numero olim incolebatur, licet nunc eorum medietatem ex præteritorum temporum iniuria vix excedat.

Cathedralis Eccleſia Aſſumptæ Virgini dicata ingentis, & vaſta molis, parij marmoris, elegantisq; ſtructuræ Comenſium eleæmoſinis à fundamentis in amplo, & nobiliori Ciuitatis loco extructa, & pluribus marmoreis SS. Statuis interius, exteriusq; exornata non exiguam parit circumſpectantibus admirationem.

In ipſa Altaria permulta viſuntur ad formam nuper redacta, ferreis vallata clathris, & picturis ornata, inter quæ præminet Altare maius cũ nouo, & excelſo Tabernaculo pro aſſeruãdo Auguſtiſs. Euchariſtiæ Sacramento, quod varijs epiſtilijs, & figuris inciſũ, inſigniq; forma elaboratũ, deaurari, ibiq; collocari curaui.

Presbytherium peramplum, & poſt acceſſum meũ ſacris obeundis cæremonijs ob ſitus partitionem, & pauimenti adæquationẽ accommodatum, eo etiam quo potui ſumptu, & adiumẽto marmorei ſepti, & Sedium Canonicalium complemento ad perfectiorem formam redacto, Templi maieſtati mirificè reſpondet.

Extat hinc indè à Choro duplex Sacriſtia, Canonicorum altera, altera Manſionariorũ, & Cappellanorum, vtraq; ſacrorũ paramẽtorum copia ære etiã proprio adaucta. Sub Altari Maiori SS. Prothi, & Hiacynthi, nec non SS. VV. Liberatæ, & Fauſtinæ corpora recondita iacent, & in Eccleſia multorum SS. Reliquiæ, necnon in Ciuitate, & Diæc. plura Sanctorum corpora, & præſertim

viginti

viginti duorum Comeñ Epiſcoporum, inter quæ S. Abundij, quem eadem Ciuitas, & Diœc. Patronũ agnoſcit, & veneratur, publicis documẽtis antiquiſſimis apparentibus, magna cũ pietate coluntur.

Tribus Eccleſia hæc dignitatibus decoratur, Archidiaconatu videlicet, Archipresbyteratu, cui cura imminet animarũ, ac Præpoſitura, & ſeptemdecẽ Canonicatibus, inter quos Theologalis, & Pœnitentiaria connumerantur, & qui illos obtinent rocheto, & cappa in diuinis vtuntur. Horum fructus, licèt non æquales, centum tamen quinquaginta ſcutorum auri ſummam excedunt in ſingulos; Quotidianæ verò diſtributiones, quæ non niſi intereſſentibus, vel legitimè impeditis communicantur, ad ſcuta centum ſimilium, & vltrà conſcendunt.

Collegium etiã adeſt decẽ Manſionariorum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Marci Abbatis Gallij Vtr. Sig. Ref. pietate, & liberalitate fundatũ, redditu centũ triginta ſcutorum ſingulis aſſignato, cũ onere quotidie reſidendi, quod ab eis ſuperpelliceo, & almutia indutis præſtatur. Cæterum Diuina Officia, atq; horæ canonicæ iuxtà laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem perſoluuntur, Miſſaq; conuentualis ſingulis diebus, ſecunda verò pro ratione temporis iuſſu noſtro decantatur.

Cæremoniarum etiam Magiſtro violaceum habitum, & ferulam geſtante, cum Coadiutore, & Cappellanorum Sacriſtiæ Præfecto per me inſtitutis ex quorundam vacantium beneficiorum vnione, alijsq; certis redditibus attributis inſignitur, qui non tàm Eccleſiæ ornamento deſſeruiunt, quàm vtilitati. His adduntur Sacriſtæ duo Canonicorum, & in cura animarum Vicarius, cui ex Archipresbyteratus redditibus certam portionem aſſignaui, ac Clerici quattuor, Miſſis, & Diuinis Officijs inſeruiendis opportuni.

Cappellani titulares non reſſidentes, qui tamen celebrandi onus, & antiquum paucorum redditũum conſortium habent, quindecim ſunt, nonnulliq; alij nõ titulares, ad celebrandum tamen adſtricti; Vnde præter Conuentualem aliæ viginti Miſſæ, & amplius quotidie veniunt celebrandæ.

Societas adeſt Sanctiſſ. Sacramenti nonnullis ditata redditibus, quibus præter certa cerea luminaria, quæ à quibusdã artificũ Collegijs deuotionis ergò ſubminiſtrantur, reliqua omnia ad tanti Sacramenti decorem neceſſaria ſuppeditantur.

Solemnium Miſſarum, & Veſperarum tempore diebus feſtiuis organa pulſantur, muſicorum adiecto concentu, qualem rerum viciſſitudo patitur. Concio inter Miſſarum ſolemnia ſemper habetur, non tàm Aduentus, & Quadrageſimæ tempore, quàm diebus feſtiuis infrà annum, ad cuius munus ex ea Religione ſeligitur, cui per orbem tunc temporis deputari contingit, & ab Epiſcopo ſuſtentatur.

Seminarij loco adeſt Colleg. à bo. mem. Ptolomeo Cardin. Comen. ex duobus à ſe abdicatis Sacerdotijs, fæl. record. Gregorij Papæ XIII. aſſenſu, & impulſu pro alendis, & benè informandis Clericis inſtitutum, & Clericorum Regul. Congreg. Somaſchæ curæ commiſſum, annuo eidem ſcutorum mille quingentorum, & vltrà redditu aſſignato, & loco peculiari elegantèr haud procul ab Vrbe conſtructo, & ædificato, & à deputata eccleſiaſticorum, & laicorum Congregatione coram Epiſcopo habenda gubernato.

A Cathedrali Epiſcopale Palatium Emporio Ciuitatis proximum pauca itineris intercapedine diſtat, commodo quidem ſitu collocatum, ſed Epiſcopo imbrium tempore ad ſacras functiones obeundas non valdè opportuno, cum ſub dio ad Eccleſiam

pergere

pergere cogatur. In eo perampla habitatio tam hyemalis, quàm æſtiua à prædeceſſoribus meis extructa, & à me in ampliorem, ac elegantiorem formam redacta, & Tribunalium, Miniſtrorumq; locus ad negotia pertractanda conueniens.

Eccleſia hæc Patriarchali Aquileienſi adſcribitur ex eo, quod interdum Epiſcopi pro eorum pietate, & religione illùc Prouincialium Conciliorum tempore, ſicut & eadem de cauſa Mediolanum, ſeſe contulerint. Proptèr eius vaſtitatem, & amplitudinem, quæ ad longitudinis centum viginti ab vna parte, ab alia verò ſeptuaginta paſſuum millia & amplius protenditur, quamplurimas habet finitimas Diœceſes, nempè Mediolaneñ, Nouarieñ, Brixieñ, Bergomeñ, Seduneñ, Conſtantieñ, Curieñ, & Tridentiñ, quam etiam impleret magnus numerus animarum, niſi retroactis annis variæ morborum calamitates irrepſiſſent, & nuper præterita acerbiſſima lues dilatatis fimbrijs, nulla ſexus, vel ætatis habita ratione minuiſſet.

Eccleſiæ redditus etſi olim ampliſſimi, nunc tamen ad annua ſcuta quattuor millia monetæ Romanæ non aſcendunt, ijq; ſcutorum mille quingentorum annua penſione, nec non & aliorum quingentorum, & vltrà in pauperes Quadrageſimæ tempore pro eleæmoſinarum diſtributione, & certis alijs oneribus erogandorum continua Epiſcopi obligatione grauantur. Septenni nihilominus elapſo tempore, licet calamitoſiſſimo; quo huius Eccleſiæ regimen ſuſcepi, ſcuta duomille quingenta, & amplius, vt ex Miniſtrorum meorũ ſupputatione videre eſt, cum vlterius vires non ſuppeterent, ex mihi voluntariè detractis ſumptibus in fabricarum reſtauratione, eccleſiaſtica ſuppellectili, Hoſpitalium, & piorum locorum adiumento, & pauperum ſubleuatione erogaui.

Quamplurima inſuper bona, & iura feudalia, & regalia

poſſidet Eccleſia Cumana non tàm intrà fines Ciuitatis, & Diœc. quàm extrà, quæ Communitatibus, & benemeritis familijs ſub fidelitatis Sacramento, & ſeruitiorum exhibitione perpetua conceſſione tradita ſunt, quæq; ad octingenta numerantur. Verum cum eorum plurima proceſſu temporis ab exteris nationibus, & non timoratæ conſcientiæ viris, vſurpata, & iniuſtè retenta forent, ea Ego, qua potui, diligentia in hanc vſq; diem ad quadraginta ceronatorũ millia, ex dictis feudalibus, & ſponſæ meæ dotalibus iuribus, ſupra hominũ memoriam deperditis, recuperaui.

Vnica poſt Cathedralem extat in Ciuitate Collegiata ſub titulo S. Fidelis (cuius corpus inibi requieſcit) quæ Præpoſito, cui imminet animarum cura, & ſeptem Canonicis conſtat, ad reſidentiam adſtrictis, & quotidianis diſtributionibus gaudentibus, ac vbi certis Quadrageſimæ diebus ſacra Concio de more habetur.

Parochiales in Ciuitate, eiusq; Suburbijs, vndecim numerantur, quarum duæ Archipræsbyteratus, & Præpoſituræ titulo nuncupantur. Cum his Parochiales Plebis Eccleſiæ, nempè Cathedralis, quam corrupto vocabulo, Zezij vocant, vt potè intra corpora Sanctorum, ponendæ veniunt, quæ vigintiduæ ſunt, & vnicum corpus cum eis conſtituunt. Earum omnium Rectores perſonalitèr reſident, munerіq; ſuo in Sacramentis adminiſtrãdis, & Doctrina Chriſtiana peragenda, ſicut & in Diœceſi, vbi quamplurimas erexi Societates, minimè deſunt, caputioq; nigro in functionibus obeundis, vt à cæteris diſtinguantur, ex mea conceſſione vtũtur. Iidem Ciuitatis Parochi Conſortium habent ex certis quibuſdam redditibus cũ Miſſarum, & anniuerſariorũ oneribus conſtitutũ, quibus gaudere minimè poſſunt, qui cantus peritiã ignorãt.

Regularium Monaſteria intra Ciuitatis mœnia nulla reperiuntur pratèr Collegium Soc. Ieſu erudiendis pueris, & animabus be-

nè

nè dirigẽdis apprimè neceſſarium; Cætera in Suburbijs, eaq; duodecim, mendicantium nouem, non mendicantium tria.

Sanctimonialium, præter Domum Congreg. Virg. S. Vrſulæ, ſexdecim ſunt, magnus certè numerus, qui licet tàm exiguæ Ciuitati conuenire minimè videatur, eius tamen pietatem, & religionem apertiſſimè indicat. Horum quattuordecim Ordinario; reliqua duo Regularibus ſubiecta remanent; præter etiã alia ſex in Diœceſ. Ordinario, & ipſa ſuppoſita. His omnibus pro eorum facultate in mea nuper celebrata Synodo præfixus eſt numerus.

Confraternitates etiam Diſciplinatorum canonicè erect., quattuordecim reperiuntur: Hoſpitalia quattuor, ſed Maius in primis licet quattuor mille aureorum redditus, ſummo tamen ære alieno grauatum, quod alendis pauperibus infirmis, & expoſitis infantibus patet, eiuſq; adminiſtrationi quotannis præſunt duo Canonici, & probati aliquod, & Nobiles Ciuitatis Viri, quorum cura eſt, vt omnia ritè, recteq; peragantur, & Chriſti patrimonium in verè egentes diſtribuatur. Adeſt etiam Domus Miſericordiæ nuncup., cuius redditus, & eleæmoſynæ non parui momenti à duobus Canonicis ſimilitèr, & alijs ad id ſpecialitèr Deputatis, piè, fideliterq; adminiſtrantur, & in pauperes Ciuitatis familias, eiuſque erudien. pueris diſtribuuntur: Nec non & Mons Pietatis ab Inſigni, & Religioſa Fœmina Lucretia Cribella Ruſca de anno 1535. pauperum neceſſitatibus ſubleuandis inſtitutus, qui per Nobiles Præfectos Fabricæ Cathedralis, cui etiam præſunt, redditusq; per eos prudenter expenduntur, piè admodum gubernatur; Societas quoq; Charitatis pro Medicis, & pauperum medicamentis ſubminiſtrandis per Io. Stephanum Lunatum Mediol. Protonot. Apoſtolicum, Generalemq; Epiſcopalem Vicarium de anno 1608. erecta, &

dotata, congruentibuſq; redditibus à Cæſare Abdua Comen. Prothonot. ſimilitèr Apoſtolico, Vicarioq; meo Monialium, etiam magnæ probitatis Viro de anno 1630. notabilitèr aucta. Horum omnium piorum locorum Adminiſtratores certo quoq; tempore Ordinario rationes reddunt.

His accedit opus illud pium, ac non tam ſingulari admiratione, quàm commendatione dignum à bo. mem. Ptolomeo Cardinali Comeñ. tam larga pietate inſtitutum, quo pro maiori pauperum patriæ ſuæ ſuſtentatione, & matrimonio iungendarum puellarum commoditate, centum millium ſcutorum implicatorum fructus à Deputata Congregatione, cui Epiſcopus præeſt, quotannis erogantur. Præter prædicta omnia extant in Ciuitate, & Suburbijs Abbatiæ Commendatæ 4. Beneficia ſimplicia 32. Oratoria 28. Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ 12.

Nunc de Diœceſ., quæ tota diuerſorũ Principum, ſeù Dominorum temporali iuriſdictione tripartitur, Catholici nempè Regis; Vallistellinæ, adiacentiumq; Comitatuum; & Heluetiorum.

Ditio Regia, præter Vggiati, Fini, Vallis Cuuij, & Marchiroli Plebes, primas Ciuitati proximas, reliquas aliquo milliarium ſpatio diſtañ. Larium etiam Lacum complectitur, qui à meridie in Septentrionem pronior tamen in Orientem excurrit. Vndiq; coronatur montibus omnis fructuum generis fœraciſſimis, & propter locorum amœnitatem ad cœli temperiem captandam, præſertim æſtiuis temporibus opportunis. In margine lacus pagi, & Caſtella conſidunt, quæ cum vel ſitus ſpecioſitate, vel ædificiorum ſtructura, vel antiquitatum memoria clareſcant, Principem ſibi proculdubio inter Italiæ Lacus vindicat locum, Larij nomen non immeritò ſortitus. Inibi Plinij fons ille admirandus, qui ſingulo quoq; die ſtatis auctibus creſcit,

ſcit, decreſcitque. In eius diſtrictu Plebes decem numerantur, quæ cum ſupraſcriptis, & Zezij recenſita Plebe ad quindecim aſcendunt. Collegiatæ cum reſſidentia quotidiana duæ; Octo cum aliqua; Reliquæ prorſus deſtitutæ. Canonicatus 92. Parochiales 116. Viceparochiales 23. Prioratus commendati 2. Præpoſituræ ſine cura 2. Beneficia ſimplicea 81. Hoſpitalia 2. Oratoria 168. Pia loca 5. Regulariū Monaſteria 14. Monialiū 2. Congreg. S. Vrſulæ 1. Confraternitates Sanctiſs. Sacramenti 104. Aliæ 43. Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ 71. Animæ 57398.

Vulturrena Vallis, aliàs Rethorum, nunc liberæ ditionis à Lacus ſummitate, & ab Arce, ſeù Caſtro Fontium, nomen à Fontium Comite, qui illud exteris nationibus obiecit, ſic deſumente, initium ſumit, & vsq; ad Burmij Comitatum protenditur, parum deflexo tramite. Regio hæc Abduæ fluuio in Larium rapido interdum curſu irrumpente alluitur à Montibus Burmio imminentibus originem ducente. Et licet Montibus hinc indè, tanquam propugnaculis occludatur, ſoli tamen gaudet vbertate mirifica, præſtantiſſimi vini copia, & omni fructuum feracitate referta, adeò vt ſi tot belli ruinas, & luis incommoda non pertuliſſet, nihil eius certè fælicitati deſiderandum veniret. Rethorum aliàs, vt notorium eſt, iugo tenebatur, & Caluinianæ hæreſi mancipata. Verum Summo Dei beneficio priſtinæ nuper libertati reſtituta, atq; è Diaboli faucibus erepta proprijs gubernatur Magiſtratibus, & pacifica quiete, ac Catholica Religione potitur, lætantibus populis, & exultante Clero ad eius eccleſiaſtica munia, & ad proprij Epiſcopi, & Paſtoris animarum ſuarum acceſſum, fugato metu propenſius ſollicito. Huius primaria loca ſunt Morbinium, Sondrium, Pontum, Tilium, & Tiranum. Plebes continet decem, inter

quas.

quas Collegiatas nouem, quarum duas Tirani, nempè & Talamonæ in Viſitatione erexi, tertiam Morbinij auctoritate Apoſtolica excitaui. Vnica quotidianam reſidentiam annexam habet; quinque aliquam; reliquæ verò nullam. Cantus 38. Parochiales 65. Viceparochiales 12. Beneficia ſimplicia 48. Oratoria 196. Hoſpitalia 2. Pia loca 7. Monaſteria Regularium 8. Monialium 1. Confraternitates Sanctiſs. Sacramẽti 54. Alias etiã 54. Scholas Doctr. Chriſtianæ 59. Animas 39971.

Hic ſilentio prætereundam non cenſeo admirandam, & excelſam Templi ſtructuram Virgini Deiparæ dicatam, & à Tirani Oppido non longè diſtantem. Hæc à fundamentis piorum eleæmoſinis extructa, & omni ſacra ſuppellectile referta, ſumma incolarum, finitimorumq; populorum veneratione, & pietate colitur; Quam ob cauſam multos ſibi redditus, eius oppidi laicis in curam demandatos acquiſiuit, quibus eius Miniſtri ſuſtentantur, & alijs rebus ad diuinum cultum neceſſarijs proſpicitur. Verum cum de eorum certa, & omnimoda adminiſtratione congrua non haberetur multo iam elapſo tempore notitia, eos ad ſupputationum rationes compuli, modumq; præſcripſi in expenſis impoſteram obſeruañ., donec aliud ad Sanctiſſimi D. N. mentem fuerit demandatum.

Huic Regioni, tanquam corpori adiacent Burmij, & Peſclauij Comitatus, hic tanquam brachij, ille capitis formam præſeferens. Burmium enim in ſummitate Vallis collocatum viſitur, vallatum montibus. Oppidum ſanè ingens, & balneis ad varias infirmitates curandas opportunis percelebre, ac ædificiorum, ac viarum amplitudine Ciuitati conſimile, niſi belli incendijs, & ruina fœdatum fuiſſet. Eius Comitatus ab ipſiſmet Burmienſibus regitur, nullos recognoſcentibus Dominos. Plebem habet, &

Colle-

Collegiatam vnicam cum inſigni Templo nuper ædificato. Canonicatus 5. Parochiales 8. Viceparochiales 2. Beneficia ſimplicia 2. Oratoria 19. Domum reſidentialem PP. Societ. Ieſu, hortatu meo, & conſilio, ac certis eisdem aſſignatur redditibus illùc ad Fidei Catholicæ præſidiũ, & iuuentutem informandam introductã. Confraternitates Sanctiſs. Sacramenti 5. Alias etiã 5. Scholas Doctrinæ Chriſtianæ 7. Animas 5870.

Peſclauij Comitatus à læua Vallistellinæ propè Tiranum Oppidum ad paſſuum decem & octo millia longitudinis extenditur, nec in gubernio ſe ſe cum Valletellina commiſcet, ſed fœdere cum Rhetis Trium Ligarum copulatur. Quamobrem illic hæretici adhuc quingenti reperiuntur cum eorum Prædicone, viuuntq; permixtim cum Catholicis, qui tamen Dei miſericordia, licet huic morbo proximi non labefactantur, Parochi acerrimi Orthodoxæ Religionis defenſoris, & eximiæ probitatis viri ſollicitudine, & ſtudio. Regionem hanc in remotioribus Diœceſis meæ partibus collocatam, cum nulla de proprij Paſtoris viſitatione extaret memoria, perluſtrare vt decreui, incredibile dictu eſt, quanta lætitia eius populi ſint affecti, & quam hilari vultu, & religione me exceperint, cum obuiam mihi proceſſionaliter ad eorum fines proceſſerint, lachrymas viciſſim præ animi iubilo promentes. Viſitationem igitur obiui, hæreticis admirantibus, quinimò (ſecluſo eorum dogmatum errore, & viuendi genere) non irreuerentibus, nec inhumanis. Eos etenim de lacu ibi exiſtente, decimis, & quibuſdam alijs feudalibus bonis ad Menſam meam Epiſcopalem ſpectantibus, & antiquo tempore, centenario videlicet annorum numero deuolutis ad inueſtituram acceptandam, & debitum fidelitatis iuramentum mihi præſtañ, lenitèr cum reliquo Communitatis populo induxi. Virginum

Sanctæ

Sanctæ Vrſulæ Congreg. domum erexi, easq; eccleſiasticæ iurisdictioni ſubiectas, earumq; bona à quibuſuis talearum, & grauaminum ſæcularium oneribus exempta, perpetuis futuris temporibus publico eiusdẽ Communitatis decreto reportaui, & quam maximè fieri potuit Catholicorũ firmitati, & Hæreticorum conuerſioni operam nauaui. In hoc Comitatu Parochiales 2. Eccleſiæ 16. Beneficia ſimplicea 1. Confraternit. Sanctiſs. Sacramenti 1. Aliæ 3. Scholæ Doctrinæ Christianæ 2. Animæ 1750.

Cohæret etiã Vallistellinæ faucibus Clauenenſis Comitatus, nomen ab inſigni Oppido inibi exiſtente ſortitus, qui Meræ fluuio in Lariũ aquas porrigente irrigatur, & vndiq; montibus ruuinoſis, & eleuatis, Solisq; præcociũ niuium imbribus patentibus clauditur. Regio hæc Rethorũ & ipſa iugo ſoluta, proprijs, vt Vulturrena Vallis, Magiſtratibus gubernatur, licet ex varijs Imperatorũ diplomatibus dono tradita Eccleſiæ Cumanæ euidentèr colligatur, & titulũ Comitis Epiſcopus, quemadmodũ & regalia, in hæc vſq; tempora poſſideat. Erat eo in Oppido olim Eccleſia SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum titulo dicata, quæ à Nouatoribus impijſſimæ Caluinianæ hæreſis ad falſam eorũ doctrinam inſinuandam polluta, Altare de more diruto, iamdiù retinebatur. Hic cũ in Viſitatione anni 1628 præſens adeſſem in ipſorum SS. Apoſtolorum Natalis die, abraſis hæreticorũ ſpurcitijs, & eorum cineribus exhumatis, ac in profluentem proiectis, Altare prius erecto, Eccleſiã Pontificali ritu, populo vndequaq; ſpectante, reconciliaui, ſacrumq; ſolemnitèr interiecta concione habui; ſicq; Chriſti Domini miſericordia factum eſt, vt vbi falſorum dogmatum reddebantur Oracula, illic ab Epiſcopo audiretur Euangelium veritatis, & Catholicæ Religionis cultus reaſſumeretur. Huic conterminæ ſunt Plurij quondam celebris, nunc verò funditùs euerſi ruinæ, & memorandi illius exitij monu-

menta,

menta, quæ nulla vnquã delebit obliuio, ſed vltricem Dei vindictã ſemper pertimeſcendam obijcient. Verum nè huius Eccleſiæ Collegiatæ loco alia deeſſet S. Caſſiani Roncaleæ, donec alia ſimilis conſtruatur, Eccleſiam ſubſtitui; Sed tantis calamitatibus oppreſſa, multis iam menſibus Archipræsbytero, ac omnibus penè Canonicis viduata remanet, adeò vt proptèr redditũ tenuitatem nemo ſit, qui ab hac Apoſtolica Sede huiuſmodi beneficia reportare curet; Quod non ſine magno euenit diũini cultũs detrimento, & animarũ iacturæ, quæ eò pernicioſior, quò hæreſeorum falſis ſectatoribus proximior Regio, & libertati procliuior. In toto hoc igitur Comitatu Plebes duæ. Collegiatæ 2. Canonicatus 12. Parochiales 3. Viceparochiales 13. Beneficia ſimplicia 3. Oratoria 33. Monaſteria Regular. 1. Hoſpitalia 2. numerantur. Confraternitates quoq; Sanctiſſ. Sacramenti 7. Aliæ 1. Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ erect. 2. Animæ 8287.

Heluetiorũ Regio tertio locò venit, cuius initiũ ab Vrbe duobus paſſuũ millibus diſtat, & quicquid citrà montès protenditur, Diœc. Comeñ attribuitur, præter pauca loca Mediolanenſi ſubiecta, Tellinæ Valli haud inferior vaſtitate.. Eorum tota ditio, & imperium in duodecim Cantonos (quos vocant) diuiditur, qui ſunt Lucerna, Vrania, Subſyluania, Suithia, Tugium, Friburgum, Solodorum, & hi omnes Catholici ad Conſtantieñ pertinent Diœceſim, reliqui, videlicet, Tigurum, Berna, Clarona, Baſilea, Schiafuſia, hæretica prauitate infecti ſunt, & omnes ſimilitèr Conſtantieñ, Baſileeñ, & Lauſaneñ Epiſcopatibus ſubijciũtur. Quod capitur Diœc. Comeñ. præter alias tres Plebes, Mendriſium, Luganum, Bellinzona, Vallis madia, & Locarnum eſt. Hiſce Oppidis, & locis Miniſtros ſingulis biennijs præficiunt, Catholicos interdũ, interdum Hæreticos, cum per Cantonos hæreticos tales in orbem eligere

contingit, cũ quibus etiam non benè agitur, ſi iura Eccleſiæ, dignitatiſq́; meæ defendere, & tueri omni ſtudio contendã. Unde euenit, vt omniũ pœnè Italiæ Diæceſum hæc mea, & ſitu, & gubernatione ſit difficillima, cum Magiſtratuum diuerſitas non vnam, eandemq́; gubernij ſpiritualis formam admittat. Cæterum hæc eorũ Regio iucunda, licet magna ex parte montuoſa; Continet enim Lugani Lacum decem, & octo paſſuum millium, & vltrà longitudinis, & partem Verbani, quà Ticinus Fluuius veloci curſu in Lacum defluit. Huius Oppida præcipua ſunt Luganum, Bellinzona, vbi turris illa triangularis C. Iulij Cæſaris ædificata adhuc cernitur; Locarnum, vbi Monialium Monaſteriũ nuper à me auctoritate Apoſtolica erectum ad maiorem eius Oppidi nitorem, & elegantiã reperitur, & à quo non valdè diſtat Aſcona, in qua Collegiũ pro eius loci alendis, & inſtruendis Clericis à Bartholomeo Papio Aſconenſi, & Ciue Romano vigintiquinque milliũ aureorum dote ditatũ, & à S. Carolo Gregorij XIII. auctoritate inſtitutum conſpicitur. Plebes in ſe claudit ſeptem. Collegiatas totidem, quarum tribus reſſidentia quotidiana eſt annexa, duabus aliqua, reliquis verò nulla. Parochiales 62. Viceparochiales 47. Beneficia ſimplicia 43. Oratoria 185. Hoſpitalia 3. Pia loca 1. Monaſteria Regul. 13. Monialium 3. Confraternitates Sanctiſsimi Sacramenti 83. Aliæ 18. Scholæ Doctrinæ Chriſtianæ 72. Animæ 52913.

Hic quoq́; ommittenda non eſt eiuſdem æternæ mem. Gregorij XIII. Pont. Max. pietas, qua proſpicere volens in hiſce Heluetiorum, Rethorumq́; Regionibus publicæ Chriſtianæ vtilitati, & fidei firmitati in Heluetico Mediol. Collegio ab ipſomet S. Caroli inſinuatione fundato & inſtituto ſpeciali priuilegio ſanciuit, vt nonnulli ex eorundem Heluetiorum, & Vallistellinæ, ac Clauenẽ tũc Rethorum meæ Diæc. ſubditis pro diſciplinis, & chriſtiano homi-

ne dignis moribus adipiſcendis perpetuis futuris temporibus reciperentur. Hæc de Diæceſi.

Quod verò ad Paſtoralis officij mei muneris partes attinet, pauca dicam, cùm maiora ſemper ſint in vinea Domini, quæ omittantur, quàm quæ præſtentur. Verum ſi conditionis humanæ infirmitatē reſpiciam, & languorem, teſtis eſt mihi conſcientia mea, nullos me prætermiſiſſe conatus, quibus Eccleſiarū inſtaurationem, & ornamentum curarem, infirma Cleri, & gregis mei conſolidarem, ægrota ſanarem, confracta alligarem, & abiecta reducerem. Vt enim ad hāc Comenſem Eccleſiā acceſſi, præter ſuperius enarrata, totius Diæc. meæ, quamuis montuoſæ, & pluribus in locis aſperrimæ, viſitationem perſonaliter obiui, tum per interpoſitos Miniſtros, vbi magis vigeret neceſſitas, denuò perluſtraui, decreta condens opportuna, vitijs eradicandis conſona, virtutibus imprimēdis ſalutaria, & talia, vt vineam hanc tribulis, & ſpinis magna ex parte expurgatam non ſine maximo animi mei iubilo conſpiciam. Vallem Tellinam etenim (vt ſummatim repetam) ſolā retroactis temporibus à via Domini aberrantem, omni hæreticæ prauitatis lepra mundatam, & veræ, ac Catholicæ fidei reſtitutā, toto pænè terrarum orbi conſpicuū eſt, vnico tantum, vt dixi, Peſclauij Comitatu labefactato ſuperſtite. Reliquum Diæc. meæ nulla ex parte infectū eſt, niſi quod ad Heluetios attinet; quos interdum hæreticos præeſſe in eorum ditione contingit. Verum licet Ciuitatis, Diæceſiſq; meæ res huiuſmodi ſe habeant, multa tamen ſunt, quæ quoad mores, Eccleſiaſticam iuriſdictionem, & Cleri libertatē opportuno remedio indigent, & diuturnam procraſtinationem non patiuntur, quæq; hic minimè recenſere, ne prolixior euadat oratio, ſed ſingillatim ſupplicibus libellis aperire, tum Sanctiſſ. D. N. tum Sac. hiſce Congregationibus mihi conſultum exiſtimaui, ſingulari earū benignitate,

gnitate, & prudentia fretus, qua mihi ſarcina tantæ molis alleuiabitur, nè tanto negotiorum pondere premar, atq; oneri ſuccumbam. Quam enim graue, quamq; acerbũ cordi meo vulnus infligat Paſtoralis muneris, & ſollicitudinis cogitatio, quæ iuſtum Dei iudicium valdè timendũ obijcit, longè melius perpendi, quam referri poteſt. Vereor enim ne ob culpas, negligentiasq; meas innumeras, diuina prouidentia, iuſtoq; Dei iudicio in partibus ablegatus ſim, vbi nihil mihi, aut certè parũ alijs proſum, & non leuem moleſtiam ſentio, dum multa in dies irrepunt in Eccleſia mea, quibus occurrere minimè poßum, & plura ſunt, quæ prætermiſiße nõ dubito. Sed quod vnum mihi in tanta animi amaritudine abundè ſupereſt ſolatiũ, eſt, nihil me, niſi eccleſiaſtici honoris augendi, dignitatisq; & religionis tuendæ zelo attentatum fuiſſe, nec hoſtes alios mè habere, quam quos diuina mihi fecit Iuſtitia, leniente huiuſmodi pharmaco conditionis imbecillitatem, diuinam in reliquis miſericordiam non deſperaturo.

Perluſtrata igitur tota Diæceſi, Synodum mihi à nonnullis retroactis annis in hæc vsq; tẽpora non celebratam, conuocandam putaui, prout effectum eſt, non ſine magno Cleri concurſu, & ſingulari mei, populiq; lætitia. In eo decreta generalia permulta, & quæ magis vtilia, & neceßaria forent, cõfeci, & promulgari iuſſi, quæq; vt executioni demandentur, quamprimũ, vnà cum Diptica Epiſcoporum prædeceßorũ tabula, Regumq; & Imperatorum priuilegijs Eccleſiæ meæ conceſſis in compendium redactis, rebusq; alijs ad Eccleſiæ ſplendorem, atq; ornamentum augeñ; prælo ſubijcieñ. curabo. Hæc ſunt, Patres Eminentiſſimi, quæ relatu digna iudicaui, cætera conſultò omittens, veſtrarum habens occupationum rationem, & tantam veritus paruipendere benignitatem.

Romæ die 23. Decembris 1633.

SVM-

SVMMA TOTIVS STATVS

Eccleſiæ Comeñ.

Collegiatæ, & Plebanæ.	35
Archidiaconatus.	1
Archipræsbyter. cũ Cura.	26
Præpoſituræ cum Cura.	12
Præpoſituræ ſine Cura.	4
Abbatiæ Commendatæ.	4
Prioratus Commendati.	2
Canonicatus.	219
Manſionariatus.	10
Magiſtri Cæremoniarum.	2
Eccleſiæ Parochiales.	289
Viceparochiales.	97
Beneficia ſimplicia.	225
Oratoria.	655
Collegia Cleric. Studentiũ.	2
Hoſpitalia.	14
Pia loca.	13
Confraternitates Sanctiſs. Sacramenti.	255
Confrat. Diſciplinatorum.	172
Scholæ Doctr. Chriſtianæ.	225
Præsbytheri Sæculares.	978
Clerici.	285
Ex *Referendarij vtr. ſign.*	6
Qbus *Prothonotarij Apoſtolici.*	12

Vicarij Foranei.	24
Sac. Theolog. Doct.	58
I. V. Doctores.	34
Decretorum Doctores.	3
Monaſteria, & loca Regularium.	52
S. Benedicti Caſſineñ.	1
Celeſtinorum.	1
Ciſtercieñ.	2
Canonicorum Regul.	1
Cruciferorum.	1
Monacorum S. Hieronymi.	1
Soc. Ieſu Colleg.	1
Reſſidentiæ.	2
Congregationis Somaſchæ.	2
Prædicatorum.	4
Seruorum.	4
Heremit. S. Auguſt. Congreg. Lomb.	3
S. Auguſt. Conuent.	3
Conuentualiũ S. Franciſci.	4
Minorum de obſeruantia.	2
Capucinorum.	9
Strictioris obſeru. Reformat.	5

Tertij Ord. S. Franciſci .	1	*Prædicatorum.*	1
Carmelitarum .	1	*S. Auguſtini.*	11
Minimorum S. Franciſci de Paula .	3	*S. Franciſci.*	1
Regulares in totum.	466	*Humiliatarum .*	3
Monaſteria Monialium.	25	*Congregation. Virg. Sanctæ Vrſulæ .*	3
Cluniacẽ.	1	*Moniales in totum.*	855
S. Benedicti.	5		

Animæ Communionis 109808. *Non Communionis* 56381.
Animæ in totum 166189.

Catha-

Cathalogus Sanctorum, & Beatorum, quorum Corpora in Ciuitate, & Diœceſi Comeñ. requieſcunt.

	S. Fœlix I. Epiſcopus Comenſis.	*In Eccleſia Monacorũ Ordinis S. Hieronymi extra mœnia Comi D. Carpoſaro dicata.*
	S. Prouinus.	*In Eccleſia Parochiali in Ciuitate eidẽ dicata.*
	S. Amantius.	*In Eccl. PP. Soc. Ieſu in Ciuitate eidẽ dicata.*
	S. Abũdius Patron. *S. Conſul.* *S. Exuperantius.* *S. Euſebius.*	*In Eccleſia extra Mœnia eidem S. Abundio dicata, ac per Vrbanum II. Pont. Max. 3. Iunij anno 1095. aſtãtibus Cardinalibus VII. & Epiſcopis IIII. conſecrata.*
	S. Euthichius.	*In Archipræsbit. Eccl. S. Georgij extra mœnia.*
Epiſcopi Comen. 22. Succeſſ. Ordine.	*S. Eupilius.* *S. Flauianus.* *S. Troſper.* *S. Ioannes.*	*In dicta Eccleſia S. Abundij.*
	S. Agrippinus.	*In Eccleſia Monacorũ Ordin. Ciſtercienſium Aquæ Frigidæ Plebis Lenni in Lario.*
	S. Rubianus. *S. Adalbertus.*	*Horum medietas Corporum ad Altare Sanctiſſ. Crucifixi in Cathedrali, altera verò in maiori Altare S. Ioannis de Pedemonte Ordinis Prædicatorum.*
	S. Martinianus. *S. Victorinus.* *S. Ioannes II.* *S. Ioannes III.* *S. Octarianus.* *S. Benedictus.* *S. Flauianus II.*	*In dicta Eccleſia S. Abundij.*

S. Protbus S. Hyacintus	Martires.	In Ara maxima Cathedralis vna cum SS. Virgin. Fauſtina, & Liberata in Arca marmorea.
S. Fidelis Martir.		In Collegiata eius nomini dicata in Ciuitate in Arca marmorea poſt Altare maius.
S. Carpoforus. S. Eſſantius. S. Caſcius. S. Secundus. S. Seuerinus. S. Licinius.	Martires	In dicta Eccleſia Monacorum eidem S. Carpoforo dicata.
S. Hipolitus Martir.		In dicta Eccleſia S. Ioannis de Pedemonte Ordinis Prædicatorum.
S. Guſmæus. S. Methæus.	Martires	In Pago Grabedonæ in Lario, in Eccleſia Diuo Fideli dicata.
S. Bonifacius. S. Herculanus. S. Antoninus. S. Valentinus.	Martires	In Parochiali Eccleſia loci Ponti Vallistellinæ D. Mauritio dicata.
S. Hippolitus Martir.		In Inſigni Eccleſia D. Mariæ dicata prope Opidum Tirani Vallistellinæ.
S. Abundius Martir.		In Parochiali Murcoti B. Virgini dicata Vallis Lugani Dominij Heluetiorum.
S. Iuliana Virgo & Martir.		In Eccleſia SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, dicata in Ciuitate.
S. Letitia V. & M.		In dicta Eccleſia PP. Societatis Ieſu.
S. Beatrix V. & M.		In dict. Eccleſia S. Ioãnis de Pedemõte Ord. Præd.
S. Liberata. S. Fauſtina.	Sorores VV.	In Cathedr. in Maiori Altari, vna cũ SS. Martirib. Protho, & Hyacinto.
S. Dominica Virgo.		In dicta Eccl. Monacorũ Ciſtercien. Aquæ Frigidæ.

B. Ioannes

B. Ioannes Fundator extincti Ord Humil.	In Præpoſitura Rondineti Collegij Comen. D. Vincentio dicata prope Vrbem.
B. Paganus à Leuco. B. Antonius de S. Germano — Ord. Prædic.	In dicta Eccleſia S. Ioannis de Pedemonte eiuſdem Ordinis.
B. Vincentius Ordin. S. Franciſci de obſeruãtia.	In Eccleſia S. Crucis eiusdem Ordinis extra Mænia.
B. Gulielmus Eques Heremita.	In Eccleſia eius nomini dicata in Valle S. Iacobi, Plebis Clauennæ.
B. Andreas de Piſcheria Ordin. Prædicat.	In Eccleſia D. Antonij eiuſdem Ordinis in Opido Morbinij Vallistellinæ.
B. Iannuarius.	In Eccleſia D. Ioanni dicata in loco Biogi ſub Cura Melli Vallistellinæ.
B. Manfredus Septala Heremita.	In Arca marmorea poſt Altare Maius Eccleſiæ Plebanæ S. Vitalis Ripæ Dominij Heluetiorũ.
B. Immirus Heremita.	In Eccleſia eius nomini dicata in Plebe Surici in Lario.

DYP.

DYPTICA EPISCOPORVM
COMEN. TABVLA
SVCCESSIONIS ORDINE EXARATA.

1 SAnctus Fœlix primus Nouocomeñ Epiſcopus, Sancti Ambroſij, cuius ad eundem extant Epiſtolæ, temporibus floruit, ab eo enim delectus, & Calen. Nouembris Epiſcopus ordinatus Nouocomēſes in fide erudiuit, & ab inanium Deorum cultu ad verā fidem reuocauit. Interfuit cum eodem S. Ambroſio, & S. Baſſiano conſecrationi Eccleſiæ Sanctorū Apoſtolorum Laudæ anno 380. ac etiam Concilio Mediolaneñ ſub eodem Ambroſio. Claruit miraculis. Corpus eius in Eccleſia S. Carpophori quieſcit, & eius officium à Clero Comeñ. die 8. Octobris quotannis celebratur, licet in Martyrologio Romano ſub 14. Iulij reperiatur.

2 S. Prouinus Fœlicis adiutor in Epiſcopatu eidem ſucceſſit. S. Nouocomeñ Eccleſiam fœliciter, & ſumma vitæ integritate gubernauit. Vita functus, clarus miraculis in Eccleſia Parochiali eius nomini dicata requieſcit, & ſumma populi frequentia colitur, eiuſq; feſtum v. Martij celebratur.

3 S. Amantius Cantuarieñ. Regia ſtirpe ortus, & ſanctitate inſignis Sancto Prouino in Epiſcopatu ſuffectus nonnullas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli reliquias Comum detulit, eaſque in eorum Templo nunc S. Abundio dicato ſub Altari Maiori repoſuit. Vixit S. Leonis Papæ temporibus. Corpus in Eccleſia Patrum Societ. Ieſu eius nomini dicat. requieſcit, et feſtum 8. Aprilis celebratur.

4 S. Abundius natione Græcus, patria Theſſalonicenſis, & S. Amantij familiaris, ab eodemque Succeſſor deſſignatus, & Epiſcopus ordinatus 15. Cal. Decembris anno 450. Comeñ. rexit Eccleſiam mira vitæ, ſanctitate, & exemplo. A Leone Pontif. Conſtantinopolim miſſus eſt ad Euthychis, & Neſtorij hæreſes compeſceñ. Interfuit Concilio Mediolaneñ ſub S. Euſebio, cui ſuo, & Aſimonis Epiſcopi Curieñ. nomine ſubſcripſit. Ad Epiſcopatum reuerſus, Reguli cuiuſdam filium vnicum defunctum ad vitam reuocauit; Inde Comum idolorum ſuperſtitione purgauit, omni populo baptizato, quem ſubinde tutelarem, & Patronum ſibi aſciuit. iv. Non. Aprilis die S. Paſchæ peracto Miſſæ Sacrificio adſtante populo ſupremum diem ſibi adeſſe nunciauit, habitaque breui exhortatione, ſpiritum Deo reddidit.

didit. Eius Sacrum Corpus in Eccleſia ſui nominis requieſcit. Et feſtum 2. Aprilis ſolemni ritu celebratur.

5 S. Conſul ex Vrbe Nupſia S. Abundij in Epiſcopatu Succeſſor, Vir fuit omni pietate, & virtutum genere inſignis, itaut Sanctorum Catalogo adſcribi meritus ſit. Eius feſtum 6. Non. Iulias celebrari inſtitutum eſt. Corpus in Eccleſia S. Abundij requieſcit.

6 S. Exuperantius Epiſcopus Comeñ. è Græca Ciuitate, quę Nundamon appellatur, oriundus, huic Eccleſiæ præfuit ſumma cum laude, & vitę ſanctimonia. Eius Corpus decentèr aſſeruatur in Eccleſia Sancti Abundij, & feſtum x. Cal. Iulias celebratur.

7 S. Euſebius Comeñ è loco de Submonte nuncup., qui Vico attributus eſt, ortum habuit. Hic S. Exuperantio in Epiſcopatu ſuffectus, eiuſque vitæ ſanctitatem imitatus in numerum Sanctorum adſcriptus eſt. Eius corpus in Eccleſia S. Abundij aſſeruatur, ac feſtum 11. Cal. Iunias peragitur.

8 S. Eutychius S. Euſebium ſecutus eſt in Nouocomeñ. Eccleſiæ regimine. Hic è Vico progenitus, cum ſolitudine delectaretur, in quandã ſpecum monti proximum diuertere conſueuerat, quo in loco etiam deceſſit è vita. Eius corpus cum à diuerſis vicinię Incolis poſceretur, plauſtro duobus iuuencis indomitis ducentibus impoſitus, præcipiti curſu in Templum D. Georgij deuenerunt, vbi poſt Altare maius conditum Non. Iun. annua ſolemnitate veneratur.

9 S. Eupilius natione Germanus ex Vrbe Vtichia, in Epiſcopatu ſucceſſit Eutychio, Hic cum rectè S. Comenſem Eccleſiam rexiſſet, in templo Sancti Abundij ſepultus eſt. Eius officium olim 11. Octobris celebrabatur.

10 S. Flauianus Eupilij in Epiſcopatu ſucceſſor, & eius ſanctitatis egregius imitator, cum multa præclarè geſſiſſet, migrauit ad Dominum. Eius Corpus in Eccleſia S. Abundij requieſcit, feſtum verò olim die 26. Februarij celebrabatur.

11 S. Proſper, Flauiano ſuffectus, Sacellum S. Saluatoris Grabadonæ apud Larium condidit; Mirè Eccleſiam Nouocomeñ gubernauit; Denique vitę ſanctitate illuſtris migrauit ad Dominum. Eius Corpus in Eccleſia S. Abundij conquieſcit, feſtum verò olim 2. Martij agebatur.

12 S. Ioannes I. Epiſcopus Comeñ, vir valdè inſignis, & Domino charus, præfuit Comeñ. Eccleſiæ ſumma cum laude. Requieſcit in Eccleſia S. Abundij eiuſque anniuerſaria dies olim 31. Auguſti peragebatur.

13 S. Agrippinus, cuius corpus in Cœnobio Monachorum Ciſtercienſium Aquæ frigidæ in Lario Lacu vnà cum ſorore Dominica conditum iacet, Epiſcopatum Comeñ. rexit, ac pro eius recta gubernatione varia ſubiuit genera tribulationum. Antiquam S. Nicolai Eccle-

ſiam

ſiam Pionæ conſecrauit. Meritis cumulatus migrauit ad cœlum. Eius feſtum die 17. Iunij colitur.

14 S. Rubianus Epiſcopus Comeñ ex Vrbe Sciſia in Dalmatiæ finibus admirabili vitæ integritate S. Nouocomenſi Eccleſiæ refulſit, qui proinde vita functus, inter Sanctos eſt relatus, & in Cathedrali eius corporis medietas; altera verò in S. Ioannis Pedemontium Ordinis Prædicatorum aſſeruatur, Eius feſto 16. Decembris celebrari conſueto.

15 S. Adelbertus Epiſcopus Comeñ natione Germanus, maxima vitæ ſanctitate enituit; Eius corporis medietas in Cathedrali, altera in S. Ioannis templo veneratur, & die 3. Iunij eius feſtum quotannis recolitur.

16 S. Martinianus Adelberto ſuffectus eſt. Eius Corpus in æde S. Abundij aſſeruatur, & feſtum olim à Clero die 3. Septembris agebatur.

17 S. Victorinus Martiniani ſucceſſor, sãctitate illuſtris migrauit ad Dominum. Eius feſtum olim die 5. Septembris celebrabatur. Corporis eius reliquiæ in Eccleſia S. Abundij aſſeruantur:

18 S. Ioannes huius nominis Secundus, Epiſcopatum Comeñ gubernauit non minori vitæ ſanctitate, quàm doctrina. Eius Corpus in Eccleſia S. Abundij requieſcit, & anniuerſaria dies 2. Octobris agebatur.

19 S. Ioannes huius nominis III. ſecundo ſubrogatus, & nomen, & vitæ ſanctitatem ſecutus, Comenſem Eccleſiam rexit, & gubernauit. Eius Corpus in Eccleſia S. Abundij reconditum quieſcit, & officium à Clero Comeñ. die 20. Octobris peragebatur.

20 S. Octarianus Ioannis in Epiſcopatu ſucceſſor, quàm mira vitæ ſanctitate huic Eccleſiæ præfuerit ex eo colligi poteſt, quod nihil ſibi faciendum reliquerit, quod pro eius vtilitate proficuum fore cerneret. Eius Corpus in Eccleſia S. Abundij conditum reperitur, & feſto anniuerſaria dies 23. Octobris celebratur.

21 S. Benedictus Epiſcopus Comeñ. vir fuit tantę ſanctitatis, & exempli, vt verè Octariano ſuccedere meruerit. Requieſcit & ipſe in æde S. Abundij, eiuſque feſtum quotannis die 30. Octobris celebrari conſuetum erat.

22 S. Flauianus II. & in ordine Sanctorum Comeñ Epiſcoporum vltimus, ſed gloria coæqualis S. Benedicto ſucceſſit in Epiſcopatus regimine, quod ſumma vitæ ſanctitate geſſiſſe non eſt ambigendum. Hic etiam in S. Abundij Eccleſia requieſcit, eiuſq; ſolemnitas quotãnis die xv. Nouembris agebatur.

23 Deus dedit natione Longobardus S. Flauiano in Comenſi Epiſcopatu ſucceſſit, cui præfuit ſumma cum pietate, & vigilantia, quemque etiam varijs redditibus ditauit, & auxit. SS. Prothi, & Hyacinthi corpora à Luitprando Longobardorũ Rege Comum delata in marmoreo

moreo ſepulchro repoſuit. Vixit Gregorio II. Pontif. & Leone III. Imperat.

24 Gauſoaldus Comenſis Epiſcopus Eccleſiæ regimen ſuſcepit Zaccariæ Pont. Sum. & Conſtantini V. Imper. temporibus.

25 Angilbertus natione Longobardus Comeñ Eccleſiæ gubernacula poſt Gauſoaldum conſecutus eſt, Eodem Pontif. & Imper.

26 Lupus ex Regum Longobardorum ſtirpe progenitus ad Comẽſem Eccleſiam aſſumptus eſt poſt Angilbertum.

27 Theodulphus natione Longobardus Comeñ Eccleſiæ Lupo defuncto adminiſtrationem obtinuit. Hic priuilegiorum confirmationem pro Eccleſia ſua à Luitprando Longobardorum Rege reportauit. Stephano III Sum. Pont.

28 Adelongus Comenſium Epiſcopus, & vltimus Longobardicæ nationis. Vixit temporibus Adriani Papæ I. Defunctus, in Eccleſia S. Carpophori humatus fuit.

29 Petrus I. natione Gallus Comeñ præfuit Eccleſiæ Caroli Magni temporibus, & ſub Paſchale Pontif. diem clauſit extremum, in Eccleſia S. Abundij tumulatus.

30 Leo I. natione Gallus Comenſium Epiſcopus à Lothario I. Italiæ Rege priuilegium obtinuit, vt pro probandis Comeñ Eccleſiæ bonis combuſtis ſcripturarum monumentis ſola poſſeſſio probata ſufficeret. Obijt anno 813. Gregorio IV. Pontif.

31 Perideus Epiſcopus Comeñ, Vicariusq; Imperialis à Lothario I. Imperatore ius piſcationum in toto agro Comeñ obtinuit.

32 Amalricus Gallus Ludouici II. Imperatoris tempore ad Epiſcopatum euectus, præfuit Comeñ Eccleſiæ ſumma cum vigilantia annis vndecim. Obijt anno Domini 860. prid. Id. Iulij Nicolao I., & Ludouico II. antedicto, ſepultusq; eſt propè Sanctorum Apoſtolorum Eccleſiam nunc S. Abundij ſub prægrandi marmoreo lapide, vt ex antiqua eius inſcriptione colligebatur.

33 Angilbertus II. ſiue Hailbertus, vel Filbertus Lutetia Pariſiorum oriundus ſupraſcripto Imperatore ad Epiſcopatum euectus, Comenſem Eccleſiam rexit, & gubernauit, & propè eius vitæ occubitum à Ludouico III. Romanorum Rege in Italia Archicancellarius creatus eſt: Non obſcurum eius ad res benè gerendas teſtimonium. Interfuit Papiæ cum cæteris Epiſcopis Prouinciæ Mediolan. dum Anſpertus Archiep. anno 876. Carolo Caluo coronam detulit, & tabulas de more ſubſcripſit. Ceſſit è vita anno 881. Ioanne VIII. Pontif.

34 Luithardus natione Gallus Epiſcopus Comeñ electus, & ab eodem Ludouico Archicancellarius, & ipſe creatus, Comenſem Eccleſiam annis nouem adminiſtrauit. Obijt anno 890. Benedicto III. Pontifice, & eodem Ludouico imperañ.

35 Valpertus natione Gallus Comenſium Epiſcopus creatus fuit. Præfuit annos 26. ac demum obdormiuit in Domino anno 916. Ioanne Papa X. & Berengario Imper.

36 Luithardus huius nominis II. patria Gallus Comeñ Epiſcopus. Obijt anno 918. Eccleſiam Dei eodem Sum. Pontifice Ioanne regente, & Berengario II huius nominis primi filio imperante.

37 Petrus huius nominis II. Epiſcopus Cumañ ceſſit è vita anno 921. Ioanne ſupraſcripto Pontifice, & Vgone imperante.

38 Azzo ab Vgone Imperatore Galliæ Rege ad Cumañ. Epiſcopatum euectus, & ab eodem Locumtenens in Ciuitate creatus eſt. Obijt anno 937. Leone VII. Pontifice, & Lothario II. Imperat.

39 Vbaldus natione Gallus Comenſis Epiſcopus. Hic S. Fidelis corpus è Vico Sumo lacu, ſupra Larium, Comum tranſtulit, & in Eccleſia eius nomini dicata, honorificè collocauit. Ceſſit è vita anno 950. ſub Stephani IX. Pontificatu, & Berengarij III. Imperio.

40 Aldegiſius è Gallia oriundus Comeñ Eccleſiæ Epiſcopus, ab Adelberto I., deindè ab Othone III. Imperatoribus confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ ſuæ reportauit. Obijt anno 978. Syluestri II. & Othonis ſupraſcripti temporibus.

41 Petrus huius nominis III. Epiſcopus ab Arduino Italiæ Rege, & deinde ab Othone III. Archicancellarius creatus fuit. Obijt anno 1003. Ioanne XVIII. Eccleſiam gubernante.

42 Hebrardus natione Germanus ab Henrico II. Othonis ſucceſſore, & ſanctiſſimo viro, ad Epiſcopalem Cumanam Eccleſiam deſignatus, eidem hac verborum præfatione Caſtrum Bellinzonæ confirmauit. Honoremus ergò Sanctos, ditemus loca Sanctorum, vt ipſos ad Deum adiutores habeamus, & interceſſores. Obijt anno 1010. Sergij Papæ II. & eiuſdem Henrici temporibus.

43 Albericus Epiſcopus Comeñ. Cathedralem Eccleſiam ab Vrbe diſtantem in Ciuitate tranſtulit. Abbatiale Cœnobium in honorem Sancti Abundij inſtituit, quod ex redditibus Eccleſiæ Epiſcopalis ditauit, vt ex charta eiuſdem donationis, quæ adhuc extat in Archiuio. Obijt anno 1040. Benedicto Papa VIII. & Henrico III. Imperatore.

44 Litigerius Comeñ Epiſcopus Abbatiam S. Carpophori extra Ciuitatẽ, & ipſe ex Epiſcopalibus redditibus inſtituit. Collegiatam S Euphemiæ in Lario ſimiliter ex bonis, & decimis menſæ Epiſcopalis fundauit. Obijt anno 1049. Damaſi II. Pont. & Henrici III. Imper. temporibus.

45 Benno Germanus Epiſcopus Comeñ creatus eſt Confirmationem priuilegiorum, anteceſſorum more, ab Henrico Imperatore obtinuit.

Eccleſiam

Eccleſiam S. Iuliani in Abbatiam ex Epiſcopalibus redditibus fundauit. Nonnulla etiam Sacrarum Virg. Monaſteria erexit. Obijt anno 1061. Nicolao II. & eodem Henrico III. Imper.

46 Raynaldus Comeñ Epiſcopus. Vir ſumma pietate, & religione prædi-tus. Hic Comeñ Clero redditum, vt anniuerſarium quotannis pro eius anima in Cathedrali celebraretur, attribuit; Plura Sacrarum Virginum Monaſteria inſtituit. Demum in pace quieuit, & in Archipræsbyterali Eccleſia S. Petri Neſſij ſepultus fuit. Vrbano II. Pontif. & Henrico IV. Imperatore.

47 Guido Grimoldus è Caualaſca Archipræsbyter Eccleſiæ Cathedralis à Canonicis, & Capitulo Epiſcopus electus, Eccleſiam S. Laurētij Monialium Ord. S. Benedicti Sondrij Valliſtellinæ conſecrauit. Huius Epiſcopi tēpore orto immani bello inter Mediolanenſes & Comēſes, Vrbs deſtructa, & incenſa remanſit. Obijt Guido Caliſto III. Pontif. & Lothario Imperatore.

48 Arditio de Caſtello Epiſcopus Comeñ ſententiam à Federico I. Romanorum Imperatore apud Bambergam 8. Cal. Maij de Comitatu Clauennæ fauore Eccleſiæ contrà Clauennates reportauit. Et anno 1154. ex hac vita deceſſit Hadriano III. & eodem Federico Imperatore.

49 Henricus Epiſcopus Comeñ, Eccleſiam ære alieno grauatam imperiali diplomate liberauit. Et paulò poſt ceſſit è vita, Victore IV. Sum. Pontif. & eodem Federico imperante.

50 Anſelmus in defuncti Henrici locum ſuffectus eſt. Quamplurima menſæ Epiſcopalis bona in feudum conceſſit. Obijt anno 1189. Calen. Aprilis.

51 Arditius Vercelleñ Cumarum Epiſcopus creatus fuit. Hic bellū mouit hominibus Plebis Matij Valliſtellinæ cum eſſet feudum Capitaneatus menſæ Epiſcopalis, quem poſtea ſecuta pace, conceſſit in feudum rectum Artuchino Venuſtæ, reſſeruatis ſibi inter cætera Regalibus in tota Plebe, & facultate cognoſcendi de homicidijs, ſacrilegijs, & adulterijs, vt ex inueſtitura tradita per Albertum Iudicem, & Regis Miſſum ſub anno 1202. menſe Octobris. Obijt anno 1204. die 2. Iulij. Innocentio III. Pontifice.

52 Gulielmus de la Turre Mendriſij Epiſcopus Comeñ. Vir ſumma pietate præditus. Hoſpitale Sancti Antonij extrà mœnia Ciuitatis ex bonis Eccleſiæ fundauit, ſicut etiam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Torello Pleb. Lugani, quam die 26. Octobris 1217. conſecrauit, eamque Canonicis Regularibus conceſſit, eis norma viuendi præſcripta, quæ adhuc in particulari Codice aſſeruatur. Imperiale priuilegium centenariæ præſcriptionis obtinuit. Demum 21. Octobris 1226. ceſſit è vita, ſepultusq; eſt in Eccleſia ſupraſcripta S. Mariæ de Torello.

53 Vbertus è Sali Montisferrati à Gregorio IX. Comen Epiſcopus creatur. Is Fodinas metallorum in agro Comen ab Imperatore obtinuit. Eccleſiam S. Ioannis de Pedemonte conſecrauit, ibiq; poſtea cum diem obijſſet ſuum de anno 1252. ſepultus fuit.

54 Leo II. de Aduocatis Eccleſiæ Comen Archidiaconus creatus Epiſcopus Comen Eccleſiam biennio adminiſtrauit. Inſulam in Lario ſitam cum arce diruta à Federico II. Imperatore obtinuit, adiecta conditione, ne inuitis Comenſibus reædificaretur. Aetate grauis Epiſcopatum renuntiauit.

55 Raymondus Turrianus Martini Mediolanen Principis filius, & Comenſium Epiſcopus. Vir fuit bellica virtute inſignis, ac magnam partem bonorũ menſæ Epiſcopalis Cuman conceſſit in feudum, vt ſibi quamplurimos Feudatarios præſtò, & obſequentes haberet. A Gregorio X. ad Patriarchatum Aquileien anno 1273. translatus fuit.

56 Ioannes IV. de Aduocatis Comen creatus fuit Epiſcopus, quo tempore, cum factiones Vitanorum, & Ruſconorum ad arma deueniſſent à Comenſi populo eiectus eſt. Sed Othonis Vicecomitis Archiepiſcopi Mediolanen opera reſtitutus, anno ſequenti 1293. XVI. Calen. Martij defunctus eſt, & in marmorea capſa, quæ adhuc extat, in Cathedrali ſepultus.

57 F. Leo III. Lambertengus Comen Ordin. Min. S. Franciſci turbulentiſſimis temporibus Epiſcopatum Comen ſuſcepit. Confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ ab Henrico VII. Imperatore reportauit, quę etiam Principatus titulo inſigniuit. Corpora SS. Prothi, & Hiacynthi ac Liberatæ, & Fauſtinæ in ara maxima Cathedralis repoſuit. Monaſterium S. Franciſci auxit, ibiq; anno 1325. ſepultus fuit.

58 F. Benedictus de Aſinago Ord. Prædic. ad Epiſcopatum euectus fuit à Ioanne XXII. Verùm tumultuantibus factionibus per ſeptennium ab Epiſcopali Sede exulauit. Anno 1335. Eccleſiæ reſtitutus, per trienniũ vixit. Et interea S. Ioannis de Pedemonte ſui Ordinis Eccleſiã cũ Cœnobio adiuuantibus propè Comenſibus adauxit. Poſtea ceſſit è vita Benedicto XII. Pontif. & Venceslao Imperat.

59 Beltraminus è Caſilio Pleb. Incini Epiſcopus Comenſium creatus fuit anno 1341. Translatus ad Epiſcopatum Bononienſem, ibi per plures annos Eccleſiam adminiſtrauit. Cumq; diem clauſiſſet extremum in æde S. Mariæ Caſilij ſepultus eſt.

60 Bonifatius è Mutina I.C. celeberrimus Eccleſiæ Comẽſi præfectus, eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac morum emendationi intendit. Synodum habuit Diœceſanam. Templa, & ædificia conſtruxit. Cappellam S. Michaelis in Palatio Epiſcopali, & Palatium ipſum vetuſtate dirutum reſtituit, ac in aula maiori Epiſcoporum omnium imagines depingi curauit. Altare in honorẽ S. Geminiani Epiſcopi Mutinen in Cathedrali

drali

drali erexit,& dotauit, ibiq; vita functus, anno 1351., in nobili marmorea arca, quæ adhuc extat, tumulatus fuit.

61 Bernardus, natione Gallus, patria Claramontanus in demortui Bonifatij locum ſubrogatus fuit. Extat ſententia arbitramentalis lata de anno 1355. inter ipſum,& Communitatem Cumarum ſuper regalibus Comitatus Clauennæ.Obijt anno 1358. Innocentio VI. & Venceslao imperañ.

62 Andreas de Aduocatis Comeñ Epiſcopus creatus fuit. Eccleſiã S. Mariæ de Lucino Pleb. Fini ædificauit, ac Canonicorum Collegiũ inſtituit, & redditibus dotauit, præſentandi iure familiæ ſuæ reſſeruato. Obijt anno 1364. Vrbano V. & eodem Venceslao imperañ.

63 Stephanus Gattus è loco Caſtani Mediol. Diœc. in Epiſcopatu ſucceſſit Andreæ. Corpus S. Fidelis è medio ipſius Eccleſiæ, vbi repoſitum erat, ad Altare maius ſolemnitèr tranſtulit, & in Arca marmorea de anno 1365. collocauit. Clauſit diem ſuum anno 1370. Gregorio X., & Roberto Imperarore.

64 Henricus de Seſſa I.C. Comeñ. Epiſcopus creatus fuit. Eccleſiam S. Auguſtini extrà mœnia conſecrauit. Comenſem populum ad Baſilicæ Cathedralis conſtructionem excitauit, cui etiam Ioannes Galeatius Vicecomes Mediolani Dux, dum Comi reperiretur, centum aureos donauit. Obijt anno 1391. Vrbano VI., & Roberto imperañ.

65 Beltramus de Broſſano in demortui Henrici locum ſuffectus, obijt & ipſe anno 1397. Bonifacio IX. & Sigiſmundo Imperat.

66 Luchinus de Broſſano Beltrami Vicarius, S. Mariæ de Monte Mediol. Diœc. Archipræsbyter creatus fuit Epiſcopus Comeñ. Hic generales ſupplicationes dealbatorũ nuncup., miſericordiam implorantiũ ad irã Dei placandam Comeñ populo indixit, & quibus ipſemet interfuit anno 1399. Vixit in Epiſcopatu plures annos. Deceſſit verò anno 1408. Gregorio XII., & Sigiſmundo Imperat.

67 Gulielmus huius nominis II. de Puſterla Epiſcopus Brixieñ. à Gregorio XII. translatus fuit ad Eccleſiam Comeñ, cuius poſſeſſionem adeptus fuit, licet à Franchino Ruſca Vrbis ingreſſu fuiſſet prohibitus.

68 F. Antonius Turconus Comeñ Ord. Minorum ad Epiſcopatum promotus, cum nõnullis annis Eccleſiã adminiſtraſſet, turbulentiſſimis temporibus exul à patria, Venetias defunctus eſt anno 1417. Martino V. Sum. Pont.

69 Franciſcus Boſſius Mediol. vtr. ſig. Refer. Epiſcopatui Comenſi præfectus eſt. In Cathedrali Altare S. Nicolao dicat. inſtituit nonnullis attributis redditibus. Interfuit Concil. Baſilcieñ, vbi etiam defunctus eſt anno 1435. Eugenio IV. Pontif. & Alberto II. Imperatore.

70 Ioannes huius nominis V. Barbauaria Mediol. ad Epiſcopatum Comeñ euectus, menſe Præſulatus ſui ſexto, vita functus eſt anno 1437. Iſdem Eugenio IV. Pontif., & Alberto II. Imperatore.

71 Gherardus de Landriano Mediol. Epiſcopus Comeñ creatus, cũ vnus eſſet, ex his decem & octo viris, quos Eugenius Pontif. ad infringen. Concilium Baſileieñ. miſiſſet, ab eodem anno 1438. Cardinalis Tituli S. Mariæ Tranſtyberim etiam creatus eſt. Is AEneam Picolomineum tunc Cæſareum Oratorem, poſtea Pium II. Pontif. Max., qui in ſupraſcripto Concilio, dum adhuc in minoribus eſſet, contra Eugenium egerat, in eiuſdem Pontificis gratiam reſtituit. Eccleſiã viſitauit, nonnullaq; decreta ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantia condidit. Cumq; legatione pro Sede Apoſtolica apud Philippum Mariam Mediolani Ducem perfungeretur, diem clauſit extremum anno 1446. Nicolao V. & Federico III. Imperat.

72 Bernardus de Landriano Mediol. Gherardi Card. Patruus, & Archipræsbyter S. Mariæ de Monte, in eius poſtea locum ſuffectus eſt. Vir fuit ſumma in pauperes pietate. Senectute grauis, anno 1451. deceſſit è vita. Eodem Nicolao V. & Federico III.

73 Antonius Puſterla huius nominis II. Mediol. creatus fuit Epiſcopus Cumañ. De eo extant originalia edicta, primum pro celebratione Miſſarum in Cathedrali, adiecta pœna Cappellanis ſtata hora non celebrantibus, ac Diuinis Officijs non intereſſentibus; aliud ſuper vita, & honeſtate Clericorum, quo etiam cauetur ne quis perſonatus incedendo Clericorum veſtes, cottas, caputia, & cappas Canonicorum deferre auderet. Obijt anno 1457. die 3. Nouembris. Caliſto III. & Federico III. imperañ.

74 Martinus Puſterla Mediol. I.C. Antonij Epiſcopi Cumani prædefuncti frater à Caliſto III. in eius locum ſubrogatus eſt, Mediolani Duce pro eo intercedẽte. Subſidium charitatiuum Clerus eidem perſoluit. Hic Epiſcopus ordinatus ſecum recogitans, quam magnam ſarcinam ſuſcepiſſet, nunquam læta fronte viſus fuit. Vixit in Epiſcopatu annos quattuor. Obijtq; eodem Pontif. Caliſto, & Federico Imperatore.

75 Lazarus Scarampus Aſtenſis Decret. Doct. à Pio II. Sum. Pont. anno 1466. cũ eſſet in Ciuitate Senarũ VIII. Id. Auguſti creatus fuit Epiſcopus Comeñ. Hic in Eccleſia Cathedrali die Dominico 27. Martij 1468. Ortlieb Baroni à Brandis electoUrieñ munus conſecrationis ſolemni ritu contulit. Vixit in Epiſcopatu annos quattuor, ac demum Mediol. defunctus eſt Paulo II. & Federico III. Imper.

76 Branda Caſtellioneus Mediol. à Paulo II. creatus fuit Epiſcopus Comeñ, & à Galeatio Sfortia Conſiliarius, ac pro eo apud Ludouicum Francorum Regem legationis munus obiuit. Hic à Sixto IV. inſtru-

ctæ quinquaginta triremium claſſi, vt Venetorum motus reprimeret, præfectus eſt, deinde Romæ Gubernator ab eodem delectus, ac demum anno 1487. Cardinalis deſtinatus ab Innocentio VIII., defunctus eſt, ac in Baſilica D. Petri ſepultus, honore, & cœremonijs eius funeri exhibitis, quales Cardinalibus præſtari ſolent, licet purpura nondum decoratus fuiſſet. Eodem Innocentio Sum. Pont.

77 Antonius huius nominis III. Triuultius Mediol primo Proth. Apoſt.; tùm Comeñ Epiſcopus ab Innocentio VIII. de anno 1487. electus, & conſecratus, Comum magna cum pompa ingreſſus eſt, ac ſacrás veſtes auro, ſericoq; intextas, quæ adhuc extant, Eccleſiæ donauit. Ab Alexandro VI. fauore Ludouici Regis, Cardinalis ſub titulo S. Anaſtaſiæ, ac deinde S. Stephani creatus fuit. Obijt anno 1508. menſe Martio, Iulio II. Pontifice, & Maximiliano imperante.

78 Scaramutia Triuultius Mediolaneñ Decret. Doct. in demortui Epiſcopi Comeñ locum ſuffectus Ciuitatem, & ipſe ingreſſus eſt honorifico apparatu, & quamplurium Mediolaneñ Nobiliũ Comitatu, ac præſertim Antonij Epiſcopi Aſtenſis eius fratris germani. Interfuit Concil. Laterañ, cui etiam ſubſcripſit, ſub Leone X. à quo anno 1417. S. R. E. Cardinalis tit. S. Ciriaci creatus eſt. Vt autem imminentem ſtragem, & Romanæ Vrbis depopulationem per Borbonium infereñ declinaret, in agrum Veronenſem conceſſit, & in pago Magugxani Non. Auguſti anni 1427. defunctus eſt. Clemente VII. & Carolo V. imperañ.

79 Cæſar Triuultius Mediolaneñ Scaramutiæ Nepos, ab eodem iam antea ſalua adminiſtratione in Epiſcopatu, ſubrogatus. Eccleſiam S. Mariæ propè Tiranum de anno 1528. ſolemni ritu conſecrauit. Nonnulla Statuta Capituli Cathedralis condidit. Adminiſtrator Eccleſiæ Placentinæ, paulò poſt creatus fuit. Cumq; inter ipſum, & Imperatoris Miniſtros certa eſſet orta ſuſpicio, Romam profectus eſt, vbi anno 1543. ex hac vita deceſſit, Paulo III., & Carolo V. imperante.

80 Bernardinus de la Cruce è loco Ripæ S. Vitalis Comeñ Diœceſ. cum eſſet familiaris Alexandri Cardinalis Farneſij, qui poſtea Paulus III. Pontif. Max. creatus fuit, ab eo primũ Caſaleñ Epiſcopus deſſignatus, deinde ad Comenſem Eccleſiã translatus eſt. Hic Palatij Epiſcopalis reſtaurationem incepit. Paramenta nonnulla Eccleſiæ donauit, deinde Epiſcopatum ceſſit Io. Antonio Vulpio retenta fructuum medietate, ac Romæ anno 1565. defunctus eſt, & in Baſilica Sancti Petri ſepultus. Pio IV. Pontifice, & Maximiliano II. imperante.

81 Io. Antonius Vulpius Comeñ primo I. C. Can. Cathedralis, ac Bernardini Epiſcopi Comeñ Vic. Gen., in cuius locum poſtea à Paulo

IV. ſuffectus eſt. Interfuit Concil. Trident., cui etiam ſubſcripſit. Ad Heluetios,& Rethos Internuntius Apoſtolicus miſſus fuit. Primã, & Secundã Synodum Diœceſ. celebrauit, & Viſit. Apoſtolicã publicauit. Palatium Epiſcopale ex parte reſtaurauit. Paramenta quamplura, ac thecam argenteam, in qua SS. Reliquiæ aſſeruãtur Eccleſiæ donauit. Demum 74. annum agens 30. Auguſti ex hac vita deceſſit, & in Cathedrali honorifico monumento ſepultus eſt. Sixto V. & Rodulfo II. Imper.

82 F. Felicianus Ninguarda è Morbinio Ordin. Prædicat. S. Theol. Magiſter cum Concil. Trident. pro Archiepiſcopo Salisburgeñ Orator interfuiſſet, primò Scaleñ, ac Nuntius Apoſtolicus in inferioribus partibus Germaniæ, & vtriusque Bauariæ, vbi plura ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Religionis augmentum laudabilitèr geſſit, tum S. Agathæ, deinde Comeñ Epiſcopus de anno 1588. à Sixto V. Sum. Pontif. creatus fuit. Hic de Viſitatione volumen, & alia plura Eccleſiæ vtilia ſcripſit, quæ impreſſa extãt. Solemnem translationem Sãctorum Comeñ Epiſcoporũ celebrauit; Cumq; Eccleſiã annos ſex adminiſtraſſet, vita functus eſt anno 1595. v. Ianuarij. Sepultus in Eccleſia S. Ioannis de Pedemonte ſui Ordin. Clem. VIII. & Rodulpho Imper. Eius oſſa anno 1632. Lazarus Caraſinus in Epiſcopatu ſucceſſor in decentiorem locum inibi transferri, & inſcriptionem in marmoreo lapide apponi curauit.

83 Philippus Archintus Mediol. primo I. C. vtr. ſign. Ref. à Clemente VIII. creatus fuit Epiſcopus Comen. Ciuitatem ingreſſus eſt in die S. Catharinæ anni 1595. Interfuit Concil. Aquileieñ. ſub Franciſco Patriarca, cui etiam ſubſcripſit, ac in tertia Diœceſ. Synodo, primò ab ipſomet celebrata, publicauit. Antiquo Breuiarij Comeñ ſublato ritu, Romanum appræhendi iuſſit. A Paulo V. ad aſſumendas informationes vnà cum Claudio Rangono Epiſcopo Placentiñ pro S. Caroli canonizatione delegatus fuit, cui etiam ſolemnitati Romę interfuit. ac inter Prælatos aſſiſtentes connumeratus. Vallemtellinã, & Clauenẽſem, Rethorũ tunc dominantiũ permiſſu, perſonaliter, nõ ſine magno animarum fructu viſitauit. Redditus Eccleſiæ notabilitèr adauxit. Palatium Epiſcopale ampliauit, & exornauit. Paramenta pretioſa Sacriſtiæ donauit. Diœc. Synodum alterã anno 1618. celebrauit. Multis perfunctus laboribus pro eccleſiaſtica diſciplina, & religione tuenda, ætate iam grauis Eccleſiam Aurelio eius ex fratre nepoti reſſignauit. Demum octoageſimum quartum annum agens, Canturij deceſſit in eo ipſo die Sanctæ Catharinæ, quo Eccleſiam ingreſſus fuerat, humandus, vt ipſe teſtamento mandauit, in Cathedrali.

84 Aurelius Archintus Mediol. I. C. & vtr. ſign. Refer. in Epiſcopatu

Comeñ

Comeñ à Gregorio XV. ſubrogatus, dum vigilantiſſimi Paſtoris partes ſollicitè in viſitando exequeretur, Præſulatus ſui menſe octauo, Eccleſiæ Cumanæ eripitur die 19. Septembris 1622. in Cathedrali omni cum honore lachrymarum humatus, eodem Gregorio XV. & Imperatore Ferdinando.

85 F. Deſiderius Scaglia Cremoneñ. Ord. Prædicat. Sac. Theol. Mag. cum eſſet S. Vniuerſalis Inquiſitionis Romæ Commiſſarius à Paulo V. die 21. Ianuarij 1621. creatus fuit S.R.E. Cardinalis, & Epiſcopus Melphieñ deſſignatus. TT. habuit S. Clementis, tùm Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, ac demùm S. Caroli ad curſum, & à Gregorio XV. anno 1622. ad Epiſcopatum Comeñ translatus, vbi perſonaliter ſequenti anno accedens, menſe tantummodo elapſo, defuncto Gregorio comitiorum cauſa Romam redire coactus fuit, ibiq; Vrbano VIII. Pontif. creato, varijs, & grauiſſimis negotiorum generibus ab eodem pro Eccleſia vniuerſali addictus Epiſcopatum dimiſit. Vrbano VIII. & Ferdinando Imper.

86 Lazarus Caraſinus huius nominis II. Cremoneñ I.C. Prot. Apoſtol., ac Cardinalis de Cremona intimus familiaris, Cubiculiq; Præfectus, à Gregorio XV. anno 1622. Melphieñ, & Rapoleñ Epiſcopus creatus, deinde 6. Ianuarij 1626. ab Vrbano VIII. ad Comeñ Eccleſiam translatus, Vrbem ingreſſus fuit 30. Maij in Vigilia Pentecoſtes eodem anno. Luſtrata Diœc. Synodum habuit. Regit is Eccleſiam ſibi commiſſam. Eodem Vrbano Pontifice, & Ferdinando Imper.

IMPE-

IMPERATORVM, ACREGVM, QVÆ EXTANT PRIVILEGIA CVMANÆ ECCLESIÆ CONCESSA.

Lvitprandus Longobardorum Rex Adeodato Cumanæ Eccleſiæ Epiſcopo Comitatum Berinzonæ conceſſit primum Epiſcopatus patrimo-
721 nium, ac perplures decimas, & redditus de bonis Regalibus; ipſamque Eccleſiam ſub Regali ſuſcepit patrocinio Anno 721.

Deſiderius Longobardorum vltimus Rex Theodulpho Cumano Epiſcopo Comitatum Berinzo-
764 næ confirmauit, nec non prædeceſſorum Regum priuilegia Cumanæ Eccleſiæ conceſſa Anno 764.

Carolus Magnus Romanorum Imperator ad inſtantiam Pipini Longobardorum Regis eius filij cũ eſſet Regontisburg Petro I. Epiſcopo confirmationem omniũ bonorum conceſſit, ac ſpecialitèr Thelo-
801 neum de mercato cum ipſo loco, Berinzonam, Plebem, Comitatum, diſtrictum, & ipſum portum; Comitatum etiam Clauennæ, Cluſas, & pontem Cumanæ Eccleſiæ donauit. Anno 802. xv. Calen. Decembris Imperij III.

Ludouicus I. cognomento Pius Imperator Caroli Magni filius cum eſſet Comi Eccleſiæ Cumanæ confirmauit conceſſionem Curtis Anutij propè Lacum Lugani cum omnibus pertinentijs, piſcationibus,
815 aquis, terris, montibus, campis, vineis, ſeruis, ancillis, ac toto diſtrictu à Cadrio, vſq; ad Pontem Treſiæ ſub anno 818. pridie Cal. Auguſti. Imp. VI.

Lotharius I. Auguſtus Ludouici Pij filius, Leoni I. Cumano Præſuli pacificam poſſeſſionem omnium ſuorum bonorum, & mancipiorum
823 conceſſit, quæ tàm in Pago Comenſi, quàm in finibus Sibrienſis habebat, licet inſtrumenta acquiſitionum fuerint igne conſumpta. Dat. in Villa Venomia 3. Iunij 823. Regni Italici I.

Lotharius idem primus Cæſar ipſimet Leoni Epiſcopo prædeceſſorũ Imperatorum, ac Regum priuilegia confirmauit, nempe Ludouici Geni-

Genitoris, Caroli Magni Aui, Cumperti, Arĉperti, Luitprandi, Ratigiſij, Aiſtulphi, Ariſprandi, Bertarij, Deſiderij vltimi Regis,
839 & prædeceſſorum eorum, & præcipuè de Theoloneo, ſeù mercato, & Gegij cum ipſo loco; Cluſas etiam, & Pontem Clauennæ Eccleſiæ Cumanæ conceſſit, inſuper res omnes in Ducatu Mediolanenſi, & Valle Tellina ſitas, ſcilicet in Amatia, Burmio, & Poſtclaue, & Monaſteriolum S. Fidelis eidem Leoni Epiſcopo ęternaliter poſſidenda conceſſit Anno 839. 3. Non. Ianuarij Imp. II.

Ludouicus II. Auguſtus Lotharij I. filius Amalrico Epiſcopo omnes
855 immunitates hominum eiuſdem Epiſcopatus ab omni publico obſequio, & publica functione conceſſit. Anno 855. v. Martij.

Ludouicus idem II. dicto Amalrico Pontifici priuilegium Lotharij genitoris confirmauit de quadam piſcatione facta præteritis tempo-
858 ribus ab Anteceſſore Petro in Territorio Cumano, ab ipſo loco vbi conſtructa fuit vſq; in Lacum Cumanum. Dat. Senna Non. Decembris Anno 858.

Ludouicus III. Imperator Angilberto Præſuli confirmauit priuilegia Prædeceſſorum Imperatorum, & Regum de Theloneo Lugani, & Mercato de Locarno, Berinzona cum Comitatu; de piſcarijs,
901 Cluſa, & ponte Clauennæ, ac libertate Seruorum Eccleſiæ Cumanæ ab omni obſequio, & publica functione, ac Eccleſiam Cumanam ſub imperiali defenſione ſuſcepit. Actum Poloniæ xv. Cal. Februarij Anno 901.

Ludouicus ipſemet III. Luitardo Epiſcopo ad petitionem Geribaldi Epiſcopi Nouarienſis, & Sigifredi Marchionis Monaſterium Abbatiam, Coronatæ nuncupatum propè Delebium non longè à
901 Fluuio Abdua conſtructum cum omnibus rebus, & familijs ad illud pertinentibus largitus eſt. Actum Papiæ VII. Idus Decembris Anno 901.

Berengarius I. Auguſtus ad petitionem Grimaldi Comitis Vualperto Cumano Pontifici facultatem dedit conſtruendi mercatum nuncupatum S. Abundij per dies quindecim poſt octauam Reſurrectio-
911 nis Domini, & ad partem eiuſdem Epiſcopij iure proprietario thelonea, & curaturas poſſidendi. Dat. XVIII. Cal. Septemb. Anno 911. Regni 24.

Hugo, & Lotharius II. Imperatores Azzoni Cumano Epiſcopo piſcationes prope Cluſas, & Pontem Clauennæ cum omni redditu, &
937 exhibitione, ac remota omni publica functione conceſſerunt. Actum Cumis XVII. Kal. ... Anno 937.

Lotharius itẽ II. Cæſar ad petitionem Manaxis Archiepiſcopi, & Attonis Præſulis, & Conſiliarij, Vualdoni Comeñ Epiſcopo priuilegia
950 confirmauit ab ipſo, & Hugone genitore conceſſa de Cluſa, & Ponte

Cla-

Clauennæ. Actum Papiæ pridie Kal. Iunij Anno 950. Regni 20.

Otto III. Auguſtus Aldegiſio Præſuli Cumano priuilegia confirmauit de conceſſa publica functione, redibitione, & theloneo mercati Lugani, de piſcarijs Lacus Cumani, & Mezolæ, de Abbatia Mo-
988 naſterij Veteris, Comitatu Berinzonæ, diſtrictu, & porta, de Eccleſijs Locarni, & immunitate hominum Eccleſiæ Cumanæ, inſuper Comitatum Leuci Imperiali liberalitate donauit; Cluſas etiam, & Pontem Clauennæ Eccleſiæ Cumanæ conceſſit. Actum in Palatio Renesbonæ III. Non. Octobris Anno 988. Imp. V.

Otto ipſe III. Imperator ad petitionem Velligiſij Archiepiſcopi Moguntini, & Hidebaldi Epiſcopi Vormacienſis, & Conſiliarij Petro III. Epiſcopo, & Cumanæ Eccleſiæ confirmauit priuilegium de
999 Cluſis, & Ponte Clauennæ cum omni redditu, & exhibitine, & cum omnibus, quæ exinde ad publicum ſoluuntur. Actum Romæ VII. Kal. Junij Anno 999. Imper. VI.

Henricus II. Cæſar Heuerardo Cumano Pontifici conceſſit caſtrum Berinzonæ cum mercatis, theloneis omnibus, publicis redditibus, functionibus, appenditijs, pertinentijs, cum ipſa quoq; porta, &
1004 piſcarijs Cluſæ, & Pontis de Clauenna confirmauit. Actum in Lacuuara 2. Idus Iunij Anno 1004.

Henricus idem II. Auguſtus interuentu Hegelberti Friſienſis Epiſcopi, Heuerardo Comenſi Epiſcopo omnem medietatem Vicecomi-
1006 tatus Vallis Tellinæ, & quicquid ad illam medietatem pertinet, aut citra Lacum Cumanum, aut Belaſium, tàm in diſtrictu, quàm in præcaria, & erimarnis donauit ſub Anno Incarnationis 1006.

Henricus etiam ipſe II. Alberico Epiſcopo Curtem, ſeù Villam Barzanorum olim Berengarij, & Vgonis Sigifredi Comitis filiorum, & Cæſareæ Maieſtati rebellium cum redditibus, functionibus, ſeruis,
1015 ancillis, montibus, terris, campis, vineis, paſcuis, ſiluis, manſis, maſſaretijs, aquis, molendinis, caſis, rebus mobilibus, & immobilibus, & cum omnibus ad eandem curtem pertinentibus largitus eſt. Datum Meresburg IV. Nonas Octobris Anno 1015. Imperij II.

Conradus II. Imperator interuentu Giſlæ eius coniugis, & Aribonis Epiſcopi Moguntini, Alberico Præſuli conceſſit Cluſas, & Pontem Comitatus Clauennæ cum omni redditu, Comitatum Leuci, piſcarias cum ripa Lacus Cumani, & Mezolæ, fluminumque infra lacum decurrentium immunitates hominibus Eccleſiæ Cumanæ, thelonea mercati Lugani, ſeu Cumani, Abbatiam Monaſterij veteris, cortes, loca, agros, Broilum cum arena, mœnia Ciuitatis, cunctas domos,
1026 & ædificia caſarum cum hortis, brughis, porticibus circa ſe habentibus, & hortis, quæ ſunt in Ciuitate Papiæ olim cuiuſdã Hieronimi

Epiſcopi

Epiſcopi Vicentini periurij Apoſtatis ab Henrico II. Cumanæ Eccle-
ſiæ conceſſa idem Alberico confirmauit. Inſuper Comitatum Meſ-
ſaucinum in Alpibus vltra Berinzonam ſitum cum redditibus, diſtri-
ctis, functionibus, placitis, conditionibus, tàm in montibus, quàm
in planis donauit. Dat. Veronæ Anno 1026. *Indictione nona*,
Regni 2.

Henricus III. Imperator Littigerio Epiſcopo ſententiam confirma-
uit contra Eccleſiæ Cumanæ Vaſſallos promulgatam nempe Seme-
1043 rati, Nouazani, & Vertemati ab Adelgerio eius Miſſo, & Cancel-
lario, per quam eidem Eccleſiæ amphoras vini, porcos, & malcto-
nes ſoluere tenebantur. Actum Rebuertes VIII. Idus Auguſti 1043.

Henricus item ipſe III. Bennoni Pontifici conceſſit Comitatum Be-
rinzonæ cum mercatis, theloneis, redditibus, ipſa porta, & cũ parte
Caſtri, Mercatum Cumani, & Lugani cum omnibus appenditijs ſuis,
piſcarias Meræ, & Abduæ cum cęteris fluminibus infra lacum decur-
1055 rentibus, cum ripa Lacus Cumani, & Mezolæ, Abbatiam Monaſte-
rij veteris, Xenodochia, Monaſteria, Eccleſias baptiſmales, curtes,
loca, agros, broilum cum arena, mœnia Ciuitatis, villam Barza-
norum, domos, ædificia caſarum Papiæ, cum curtibus, broilis, &
hortis, Plebem Lugani cum omnibus rebus, & poſſeſſionibus ſuis.
Actum Volarnis Idibus Nouembris Anno 1055. Imperij IX.

Henricus IV. Auguſtus interuentu Agnetis Imperatricis, eiusq; Ge-
nitricis, Reginaldo Præſuli Cumano conceſſit Abbatiam Bremeten-
ſem cum omnibus Monaſterijs, ſeruis, ancillis, cellis ſibi pertinen-
1065 tibus, montibus, planis, villis, maſſarijs, maſſaritijs, paſcuis, vi-
cinalibus, diſtrictis, mercatis, molendinis, piſcarijs, lacis, flumi-
nibus, campis, ſiluis, Eccleſijs baptiſmalibus, Clericis, & capellis
ſub Anno Domini 1065.

Ardoinus Rex interuentu Bertæ Reginæ eius coniugis Petro IV.
Pontifici conceſſit certam partem caſtri de Berinzona con merca-
tis, theloneis, ſeruis, ancillis, & publicis redditibus, cluſas, pon-
tem, & Comitatulum de Clauenna cum omni redditu, piſcaria,
1092 cum ripa Lacus Cumani, & Mezolæ, Comitatum Leuci, Monaſte-
rium vetus, immunitatem præſtitam hominibus Eccleſiæ Cumanæ,
nec non priuilegia prædeceſſorum Imperatorum, & Regum. Actum
in Caſtro Montigio VIII. Kal. Aprilis Anno 1092.

Fridericus I. Imperator Ardicioni I. Epiſcopo conceſſit diſtrictum,
1152 & fodrum Villarum de Ogiàte, Caſanoua, Albiolo, Fino, Brigna-
no, & Cauerzaſio. Actum Vlmæ Anno Domini 1152.

Fridericus Romanorum Rex per diffinitiuam ſententiam inter Ardi-
tionem I. Epiſcopum Cumanum, & Communitatem, & hominum
Clauennæ confirmauit priuilegia Caroli Imperatoris, Ludouici,

Lotharij

Lotharij I. & alterius Ludouici, & Caroli minoris, & Berlengarij, & trium Ottonum, & Conradi Imperatoris, & Henrici I. II. &
1153 III., & Lotharij II. & Conradi Regis patrui, & prædeceſſoris ſui conceſſa Eccleſiæ Cumanæ ſuper Comitatu Clauennæ, quem Eccleſiæ prædictæ adiudicauit ſub Dat. Bamberg IX. Kal. Maij Anno Dominicæ Incarnationis 1153.

Fridericus I. Romanorum Rex conceſſit Arditioni I. Epiſcopo Cumano, & Eccleſiæ, & ſucceſſoribus ſuis, honorem, diſtrictum, &
1154 fodrum burgorum Grabatonæ, & Domaſij cum alijs omnibus ad Regalia pertinentibus. Actum apud Bamberg VIII. Kal. Maij Anno 1154.

Fridericus item primus Cæſar Heinrico I. Præſuli conceſſit priuilegium abſolutionis vſurarum, & creditorum, in quibus tenebatur Eccleſia Cumana, reſtitutionis, & confirmationis poſſeſſionum Eccle-
1163 ſiæ, reuocationis, & irritationis beneficiorum, & feudorum omniũ, quæ infra octo dies ante mortem ſuam dedit, & præſtitit prædeceſſor Ardicio Epiſcopo. Dat. Papiæ VII. Idus Iunij Anno 1163. Imperij VII.

Henricus VI. Auguſtus Anſelmo Cumano Epiſcopo conceſſit omnia
1191 Ciuitatis fortalicia, ac iurisdictionem diſtrictus, & honores in Burgo de Lugano. Dat. in lacu Cumano IV. Idus Iulij Anno 1191.

Henricus etiam ipſe VI. Ardicioni Secundo Epiſcopo confirmauit
1196 omnia quæcunq; Fridericus I. Imperator eius Genitor Eccleſiæ Cumanæ dedit, conceſſit, & donauit. Dat. Placentiæ 6. Septemb. 1196.

Otto IV. Imperator Gulielmo Pontifici Cumano confirmauit priuilegium, quo recipitur Eccleſia Cumana cum bonis ſuis ſub Imperiali
1209 protectione, & quod non currat vlla præſcriptio inchoata, vel inchoanda contra eandem Eccleſiam niſi centenaria. Actum Auguſtæ menſe Martij 1209. Imperij I.

Fridericus II. Cæſar Hieruſalem, & Siciliæ Rex Vberto Cumano Epi-
1231 ſcopo conceſſit venas metallorum, quæ inueniuntur in tenimento, & diſtrictu Epiſcopatus Cumani. Datum Rauennæ vltima Decembris 1231.

Fridericus ipſe II. Auguſtus dicto Vberto Epiſcopo confirmauit diſtrictum, & honorem Burgi de Lugano, & ſub Imperiali auctoritate
1233 Burgenſibus illis de Lugano præcepit, quod in omnibus debitã Cumano Epiſcopo obedientiam, & reſpectum exhibeant.

Adulphus I. Imperator ad ſupplicationem Philippi Epiſcopi Tridentini, Leoni II. Cumano Præſuli conceſſit Inſulam, quæ ſita eſt in
1253 Lacu Cumano, ſuper qua caſtrũ dirutum fuiſſe dicitur à ciuibus Cumanis. Datum Franchefurt Idibus Nouemb. 1253. Regni V.

Henricus VII. Auguſtus Leoni III. Epiſcopo Cumano, quem etiam Prin-

Principem denominauit, confirmauit, & innouauit omnia priuilegia Eccleſiæ Cumanæ conceſſa, præſertim Caſtri Berinzonæ, cum Plebe, Comitatu, & diſtrictu, ac redditibus publicis, Comitatum Meſſaucinum cum omnibus rebus, quæ inibi dici, vel nominari poſſunt; Plebem Locarni, & Sconæ, Caſtrum, & Comitatum Clauennæ cum diſtrictu, honore, & omni redditu, omnia Clauennatum priuilegia caſſando, iuxta ſententiam Henrici Imperatoris. Mercatum, & plebem Lugani, ac Curtem de Inutio cum omni redditu, & honore. Item honorem, deſtrictum, fodrum, & Regalia burgorum Grabatonæ, Domaſij, Olgiati, Caſanouæ, & Albioli, Piſcariæ Me-
1311 ræ, & Abduæ cum cæteris fluminibus, ſimul cum ripa Lacus Cumani, & Mezolæ, cum theloneis, & quæ de Comitatu Leuci fuit. Villam, & curtem Berzanoro, porcos, multonos, & Amphoras vini locorum de Semerato, Nouazano, & Vertemate. Theloneum de mercato, & Gegis. Bremetenſe Monaſterium Domus, cum ædificijs de Papia. Abbatiam de Coronate, Caſtrum Sconæ, Inſulam in Lacu Cumano, Caſtrum Surici, Ardenni, Treſiuij, Stazonæ, Tirani, ac Groſij, loca Stabij, & Ligorneti cum omni honore diſtrictu, ac cum omnibus regalibus. Venas metallorum; Immunitatem Vaſallorum Eccleſiæ. Item quod nulla præſcriptio inchoata vel inchoanda quantumcunque tēporis in Eccleſiæ præiudicium allegari poſſit. Datum, & actum in Ciuitate Mediolanenſi in Palatio Archiepiſcopali Anno Dominicæ Incarnationis 1311. 4. Nonas Februarij Indictione x. Regni III.

Teſtes fuerunt Balduinus Archiepiſcopus Treuirenſis Regis germanus. Caſtonus Archiepiſcopus Mediolanenſis. Amedeus Epiſcopus Gibeneñ. Engilbertus Epiſcopus Leodienſis, Vilbertus Epiſcopus Baſilienſis, Amedeus Comes Sabaudiæ, Guido de Namurro Flandrenſis Comes, & Valleranus Comes de Lucemburg germanus Regis Principes delectiſſimi, & fideliſſimi.

Bulla Pij V. de Monialium Clauſura.

PIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam. Decori, & honeſtati omnium ſanctimonialium, quarum Ieſus Chriſtus Dominus Noſter Sponſus eſt, vt in puritate, & caſtitate ſuper ædificantes, in ipſo fęliciter inhabitare valeant, conſulentes, ea quæ illarum exiſtimationi detrahere poſſent, decet nos conſultò ſummouere. Sanè periculo, & ſcandalo plena res eſt ac regulari obſeruantiæ vehementer aduerſatur, ſanctimoniales aliquando parentes, fratres, ſorores, aut alios agnatos, vel cognatos, necnon Monaſteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis ſubiecta viſitandi aut infirmitatis cauſa, alioue prætextu à Monaſterijs exire, & per ſæcularium perſonarum domus diſcurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honeſtatis, & pudicitiæ decus in diſcrimen committunt. Vnde Nos malo huic pro noſtro paſtoralis officij debito ſalubriter occurrere volentes, inherentes etiā Decreto Sacri Concilij Tridentini de clauſura Monialium diſponenti, ac alijs noſtris litteris ſuper huiuſmodi clauſura editis adijcientes, volumus, ſancimus, & ordinamus nulli Abbatiſſarum, Prioriſſarum, aliarumue Monialium etiam Chartuſienſium, Ciſtercienſium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcunque aliorum ordinum etiam Militiarum, ac ſtatuum, graduum, conditionum, dignitatum, ac præeminentiarum exiſtentium, etiam à Regia, vel Illuſtri Proſapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis, ſeu aliorum Monaſteriorum, etiam eis ſubiectorum, aut domorum parentum, aliorumue conſanguineorum viſitandorum, aliaue occaſione, & prætextu, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum ſuperiores, quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci ordinariū, etiam ſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta eſſe reperiantur, cognita, & expreſsè in ſcriptis approbata ſit, à Monaſterijs præfatis exire, ſed nec in prædictis caſibus extra illa niſi ad neceſſarium tempus ſtare licere. Aliter autem quam vt præfertur, egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocunque cōcedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices perſonas, ſiue laicas, aut ſæculares, vel eccleſiaſticas conſanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ ſententiæ vinculo ſtatim eo ipſo abſque aliqua declaratione ſubiacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolui nequeāt. Et inſuper tām egreſſas, quàm præſidentes, & alios ſuperiores prædictos eis licentiam huiuſmodi concedentes, dignitatibus, officijs, & adminiſtrationibus per eas & eos tunc obtētis priuamus, & illas & illos ad obtēta,

& alia

& alia in poſterum obtinenda inhabiles, necnon licentias, & facultates, ſeu indulta, & priuilegia exeundi à Monaſterijs, & extra illa ſtandi à Nobis, ſeu alio Romano Pontifice prædeceſſore noſtro, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntijs, & Legatis etiam de Latere, ac Maiore Pænitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, alijſue perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis reſtitutiuis, præſeruatiuis, mentis atteſtatiuis, etiam nouam gratiam, & datam concedentibus, alijſque efficacioribus, & efficaciſſimis, ac inſolutis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis in genere, vel ſpetie, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia deque Apoſtolica Poteſtatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, necnon S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac inſtantia, vel alias quomodolibet conceſſa (quæ prorſus abolemus) ac litteras deſuper confectas, & in poſterum concedendas, & conficiendas nullas, & inualidas, nulliuſque roboris, ac momenti fore, nec illas, habentibus, & habituris ſuffragari poſſe, & ita per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter iudicandi, & interpratandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Mandantes vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub obteſtatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes litteras in Ciuitatibus, & Diœceſibus proprijs quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon præfatum decretum ipſius Concilij, quod incipit. Bonifacij VIII. diligenter, & inuiolabiliter ſub cenſuris eccleſiaſticis, alijſque præfatis pœnis, & in eodem decreto contentis, obſeruent, & obſeruari faciant, & procurent, contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes etiam alijs pœnis auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum eccleſiaſticum apponendo. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expræſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, & iuribus de huiuſmodi clauſura diſponentibus nihilominus in ſuo robore

K duraturis

duraturis. Cæterum volumus quod præſentium tranſumptis etiam impræſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorſus fides vbique terrarum tam in iudicio, quàm extrà adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, ordinationis, priuationis, abolitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono. Cal. Februarij, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Cæſ. Glorierius.

H. Cumyn.

ANNO à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione decimatertia, die verò vigeſima ſeptima menſis Februarij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Pij diuina prouidentia Papæ V. Anno eius Quinto retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ ad valuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt per nos Ioannem Guerrerum, & Chriſtianus de Monte prælibati Sanctiſs. D.N. Papæ Curſores.

Antonius Clerici Magiſter Curſ.

Bulla

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Immenſa Dei prouidentia, à qua omnium bonorum operatio procedit, & in ſuorum Fidelium animis ſemper ingerit, quæ ad Chriſtianæ Religionis, & pietatis cultum, gregiſque Dominici ſalutem ſunt maximè pro futura. Vnde Nos, quibus cura, & ſalus gregis eiuſdem diuinitus eſt commiſſa, ipſorum fidelium præſertim Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinaliũ vota in id tendentia ex intimo cordis noſtri affectu libenter promouemus, & deſuper Paſtoralis officij noſtri partes interponimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cùm itaq; Sanctæ Mariæ de Rondineto, & Sancti Martini extra muros Comeñ olim Ordinis, nunc verò extincti Humiliatorum Præpoſituræ, quas dilectus Filius noſter Ptolomæus Tit. S. Agathæ Præsbyter Cardinalis Comenſis nuncupatus in commendam ad eius vitam ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica nuper obtinebat, Commenda huiuſmodi, ex eo quod dictus Ptolomæus illi hodie in manibus noſtris, ad effectum validum omnium, quæ ſequuntur, & alias liberè ceſſit, Noſque ceſſionem hujuſmodi duximus admittendam, ceſſante adhuc eo, quo ante Commendam ipſam vacabat, modo vacare noſcatur ad præſens. Et ſicut prædictus Ptolomæus Cardinalis Nobis nuper exponi fecit, ipſe ſecum animo conſiderans in Ciuitate Comeñ Patria ſua, ac eius Diœc. multos adoleſcentes ingenio quidem præditos, ſed ob rei familiaris inopiam, neque litteras, neque ingenuas, aut alias artes ſibi comparare poſſe, ſæpèque accidere, vt omni ſpe deſtituti, tempus ſine fructu conterant, & ſibi, atque alijs inutiles euadant, & quod deterius eſt, propter inſcitiam rerum ad ſalutem pertinentium in vitia facilè prolabantur, quæ omnia caueri poſſent, ſi ipſi pauperes in Dei timore, ac morum, & litterarum diſciplina alerentur, ad hoc autem munus obeundum Clerici Regulares Congregationis de Somaſcha cùm valde idonei eſſe noſcantur, vſuque iam comprobatum ſit, eos in inſtituenda iuuentute ſemper honeſtè, & fructuosè verſatos eſſe, ſummopere cupiat in ædibus eiuſdem Præpoſituræ S. Mariæ, vnum Collegium puerorũ ſub cura, & gubernio vnius Præpoſiti, & trium Profeſſorum dictæ Congregationis erigi, & inſtitui, ac illi ſic erecto, & inſtituto pro illius dote, & ipſorum puerorum ſuſtentatione, alijſque neceſſarijs Præpoſituras prædictas vniri, annecti, & incorporari, aliaque infraſcripta fieri, ſperans hac ratione iuuentuti prædictæ ſuccurri, *ſimulq; nouos operarios in agrum Dominicum ſuo tempore introduci poſſe.* Quare idem Ptolomæus Cardinalis aſſerens Prępoſiturarum prædictarum in ſimul ac illis forſan annexorum fructus, reditus, & prouentus,

 qui

qui omnes, & ſinguli Dilecto filio Marco Gallio Clerico Comen dicti Ptolomæi Cardinalis nepoti Apoſtolica auctoritate reſeruati, ſeu reſeruari conceſſi, exiſtunt mille, & ducentorum ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedere, tam ſuo, quàm Dilecti Filij Præpoſiti Generalis dictæ Congregationis nominibus nobis humiliter ſupplicauit; quatenus præmiſſis annuere, ac aliàs deſuper opportunè prouidere benignè dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica, alijs vniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum æſtimationem prædictam etiam beneficij, cui aliud vniri peteretur; alioquin vnio non valeret, & ſemper in vnionibus commiſſio fieret ad partes vocatis, quorum intereſſet reſeruationem, ſeu conceſſionem fructuũ, redditiuum, & prouentuum huiuſmodi ipſius Marci ad hoc expreſſo accedente conſenſu, caſſantes, & extinguentes ipſum Præpoſitum Generalem à quibuſuis Excommunicationis, & Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, pœniſq; à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, necnon verum, & vltimum dictarum Præpoſiturarum vocationis modum, etiamſi ex illo quæuis generalis reſeruatio, etiam in corpore iuris clauſa reſultet, præſentibus pro expræſſo habentes huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, in ædibus prædictis vnum *Collegium quinquaginta, pluriumuè, ſeu pauciorum*, prout dictarum Præpoſiturarum facultates, detractis oneribus ferre poterunt ſub cura, & gubernio vnius Præpoſiti, & trium profeſſorum Congregationis huiuſmodi, qui illos ad Religionem, & Pietatem informent, boniſque moribus, ſcientijs, & diſciplinis pro cuiuſque captu inſtruant, & qui ad has idonei non erunt eos mechanicas artes ediſcere faciant, & alias prout videbitur dicto Ptolomæo Cardinali, aut qui ad id facultatem habebunt dicta auctoritate, tenore præſentium perpetuò erigimus, & inſtituimus. Illique ſic erecto, & inſtituto pro eius dote, ac puerorum prædictorum ſuſtentatione, alijſque neceſſarijs Præpoſituras prædictas, quæ conuentu, & cura carent, quarumque ac omnium aliarum dicti olim Ordinis Præpoſiturarum diſpoſitio ad Nos, & ad Sedem Apoſtolicam omni tempore pertinet, quibuſuis modis, & ex quorumcunque perſonis, ſeu per liberas reſignationes quorumuis de illis in Romana Curia, vel extra eam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factas vacent, etſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialitèr, vel aliàs generaliter reſſeruatæ exiſtant, ac ſuper eis inter aliquos lis, cuius ſtatum præſentibus haberi etiam volumus pro expræſſo pendeat indeciſa nomine, titulo, & eſſentia Præpoſiti, & Præpoſituræ in vtraque, & perpetuo ſuppreſſis, & extinctis cum annexis huiuſmodi, ac omnibus iuribus, iuriſdictionibus, & pertinentijs

ſuis

ſuis auctoritate, & tenore præſentis ſimilitèr perpetuò, vnimus, annectimus, & incorporamus. Ita quod liceat eidem Ptolomæo Gallio Cardinali, & nunc, & pro tempore exiſtentibus Adminiſtratoribus dicti Collegij illorum, ac bonorum, & rerum omnium eorumdem corporalem poſſeſſionem propria auctoritate, ac etiam abſque Iudicis mandato, vel decreto per ſe, vel alium, ſeù alios liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illamque regere, & adminiſtrare, & in communes dicti Collegij vſus vtilitatem, & neceſſitatem conuertere Diœceſani loci, & cuiuſuis alterius licentia minimè requiſita, prædictis verò Præpoſito, & Profeſſoribus ibidem pro tempore exiſtentibus curam, & regimen Eccleſiarum vtriuſque Præpoſituræ vnitæ in ſpiritualibus, auctoritate, & tenore ſimilibus committimus, necnon habitationem in prædictis ædibus, eamque commodam, & vineam iſti contiguam ex qua quadraginta ſcuta monetæ annuatim, vt dictus Ptolomæus Cardinalis etiam aſſerit, percipiuntur, & centum, & ſexaginta ſcuta ſimilia ex alijs redditibus earundem Præpoſiturarum vnitarum, in pecunia ſoluenda eiſdem auctoritate, & tenore pariter perpetuò concedimus, & aſſignamus, *cum eo, quod Congregatio prædicta ad minimum tres actu Prasbyteros, duoſque Conuerſos, qui ex dictis ducentis ſcutis viuant in eiſdem Præpoſituris vnitis* perpetuò retinere, & in Sanctæ Mariæ duas Miſſas, in Sancti Martini verò Præpoſiturarum huiuſmodi Eccleſijs vnam ſingulis diebus in perpetuum celebrari facere, & alia onera ad cultum Diuinum ibi pertinentia ſuſtinere, oleum, ceram, & alia id genus, quæ opus erunt, ſuppeditare teneantur. Ipſorum autem puerorum decem ex Vallibus Telinæ & Clauennæ, alij decem ex tribus Plematibus Grabedonæ, Dungij, & Surici iuriſdictionis temporalis ipſius Ptolomæi Cardinalis, cæteri verò omnes ex Ciuitate, & reliqua Diœceſi Comeñ erunt, & ab eodem Ptolomæo Cardinali quoad vixerit deſſumentur, deinde Epiſcopus Comenſis, & ille, qui caput, & dignitate maximus Laicus, eoque non exiſtente Clericus familiæ Galliæ, cuius idem Ptolomæus Cardinalis exiſtit, vnus item de gremio Capituli Eccleſiæ Comenſis, & vnus ex Laicis Nobilibus Comenſibus ab ipſo Ptolomæo Cardinali primò nominandi, & Præpoſitus ibi pro tempore exiſtens, tàm dicti Collegij, quàm bonorum, rerum, & iurium omnium illius Adminiſtratores in perpetuum erunt, curamq; aſſumendorum, recipiendorum, & emittendorum prædictorum puerorum, eorumq; correctionem, & eiectionem liberam, & omnimodam habebunt. *Pueri verò omnes omnium pauperrimi ſemper ab illis deligantur, ita vt nec ex ſeipſis, nec ex parentibus habeant vnde ali, & educari poſſint, inter quos pauperes orphani ſemper præferri debeant*, à decimo ipſorum puerorum anno recipiantur, & vſq; ad decimum octauum cuiuſcunq; annum dumtaxat educentur, quotieſcunq; verò Capitularis, aut etiam Laicus Co-

menſis Adminiſtrator deficiet alij quattuor Adminiſtratores tunc exiſtẽtes alium ſemper in demortui, *vel abſentis deficientis locum ſurrogabunt*: & ſi quando dicti Profeſſores in docendo, & dirigendo pueros prædictos minus idonei, vel negligentes, & remiſſi fuerint ipſis adminiſtratoribus eoſdem etiam eijcere, & alios Regulares, vel Sęculares in eorum locum, ac deinceps ſemper alios quotieſcunque venerint vſus, ſubſtituere licebit, quibus, quoad hæc, & ſupradicta omnia facienda, & exequenda, liberam facultatem, & poteſtatem tribuimus, decernentes ſuppreſſionem, vnionem, annexionem, & incorporationem, necnon commiſſionem, conceſſionem, aſſignationem, & alia præmiſſa, præſenteſque litteras nullo tempore, ſiue pro eo, quod cauſæ propter quas hæc omnia facta ſunt coram loci Ordinario, & tamquam à Sede prædicta delegato minimè examinatæ, nec verificatæ, neque approbatæ, nec intereſſe habentes vocatæ fuerunt, ſiue alias ex quibuſcumque cauſis de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, ſeu in ius, vel controuerſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci poſſe, ſed ſemper valida, & efficacia exiſtere, ſuoſque integros effectus ſortiri, nec ſub illis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, vel quibuſcumque tenoribus, & formis, & ex quacumque cauſa pro tempore factis compræhendi, ſed ſemper ab illis excepta, & quoties illa emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtituta, ac denuò conceſſa eſſe, ſicque per quoſcumque Iudices Ordinarios, & delegatos, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & eiuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpræetandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Non obſtantibus priori voluntate noſtra prædicta, & fęlicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, ac Lateranenſis Concilij nouiſſimè celebrati vniones perpetuas, niſi in caſibus à iure permiſſis fieri prohibentes, alijſque Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliquis ſuper prouiſionibus ſibi faciendis de Præpoſituris huiuſmodi ſpeciales, vel alijs beneficijs Eccleſiaſticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius Litteras impetrarint, etiam ſi per eas ad inhibitionem reſeruationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem Litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, ac deinde ſecuta quæcumque ad dictas Præpoſituras vnitas volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad executionem Præpoſiturarum, vel beneficiorum aliorum, præiudicium generari, & quibuslibet alijs priuilegijs, Indulgentijs, & Litteris Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeant quomodolibet, vel diferri, & de quibus quorumque totis tenoribus

ribus de verbo ad verbum habenda ſit in eiſdem litteris mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter vnionem, annexionem, & incorporationem huiuſmodi vnitæ Præpoſituræ prædictæ debitis non fraudentur obſequijs, ſed earum congruè ſupportentur onera antedicta. Et inſuper, prout eſt, irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, caſſationis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, vnionis, annexionis, incorporationis, commiſſionis, conceſſionis, aſſignationis, tributionis, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1583. Id. Octobris, Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Pro Reuerendiſſ. D. Sum.

Antonius Lanfredonius.
Cæſar Glorierius.

Decretum Sac. Congreg. de Propag. fide habitæ coram Sanctiſsimo die 23. Martij 1629.

REferente Illuſtriſs. D. Cardinali Bentiuolo. Sanctiſſimus D. N. Decretum Sac. Congreg. pro reformatione Collegij Comeñ editum die 6. huius Menſis confirmauit, & approbauit, addita clauſula, vt Alumni à XIV. anno ætatis eorum, vsque ad XXII. completum in præfato Collegio detineantur; niſi ex legitimis cauſis fuerint dimittendi.

Decretum autem, de quo ſupra fit mentio, eſt quod ſequitur.

REferente Illuſtriſs. D. Cardin. Bentiuolo ſtatum Collegij Pontificij Comeñ à Gregorio XIII. erecti Idibus Octobris 1583. Sac. Congregatio decreuit, vt infra.

Primò, Si Sanctiſſimo placuerit in eo Collegio non eſſe deinceps recipiendos Alumnos, niſi expleuerint ætatis ſuæ decimum quartum annum.

Secundò, Ad idem Collegium extendendum eſſe decretum pro Collegijs Pontificijs die 24. Nouembris editum, & iuxtà illud, ac iuramenti formulam in eo præſcriptam, vltimo capite excepto, Alumnos obligandos eſſe ad vitam Eccleſiaſticam.

Tertiò, deniq; per ſpeciales litteras deputandos eſſe Epiſcopos Comenſes pro tempore ad recipiendum ab Alumnis iuramentum, & ad declarandum, quando illi Ordinibus Eccleſiaſticis initiari debebunt.

Octauius Card. Bandinus.

Locus ✠ Sigilli.

Franciſcus Ingolus Secret.

DECRE-

DECRETVM
Sacræ Congregationis de Propaganda Fide coram Sanctiſsimo habitæ die 24. Nouembris 1625.

SAcra Congregatio de mandato ſpeciali Sanctiſs. D. N. VRBANI VIII. Rectoribus Collegiorum Pontificiorum nunc, & pro tempore exiſtentibus diſtrictè præcipit, vt ab Alumnis, qui maiores quattuordecim annis in præfatis Collegijs in poſterum recipientur, tempore admiſſionis eorum, vel ſi minores fuerint, poſt quartumdecimum annum completum, iuramentum iuxta ſubiectam formulam omnino exigant, illudque vt præfertur exactum, ac manu eorum ſubſcriptum in Archiuijs Collegiornm prædictorum diligentèr aſſeruent.

Inſuper eadem Sacra Congregatio declarat, quòd per huiuſmodi iuramentum præfatos Alumnos ab alijs obligationibus, & iuramentis, quæ forſitam ex Collegiorum prædictorum Conſtitutionibus præſtare conſueuerunt, eximere non intendit, niſi quatenus infrapoſitæ formulæ contraria extiterint: ſed ea omnia firma, & illæſa manere vult, ac in eodem robore perſiſtere, ac ſi præſens decretum non emanaſſet. Præterea de mandato ſimiliter ſpeciali eiuſdem Sanctiſs. D. N. ſtatuit, & decernit neminem deinceps prædictorum Alumnorum contra infraſcriptam iuramenti formulam in aliqua Religione, Societate, vel Congregatione Regulari à Superioribus recipi, nec ad profeſſionem admitti poſſe, vel debere, alioquin receptio, & profeſſio nullæ ſint, ac nullius roboris, & firmitatis; & qui ex antedictis Superioribus Alumnos huiuſmodi contra ſubiectam iuramenti formulam receperit, vel ad profeſſionem admiſerit, actiua, & paſſiua voce præſentis decreti auctoritate careat. Non obſtantibus prædictorum Collegiorum fundationibus, ac decreto die 9. Auguſti 1624. de hac materia edito, & Rectoribus prædictis intimato, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs, & alijs quibuſcunque in contrarium quomodolibet facientibus.

Formula Iuramenti ab Alumnis Collegiorum Pontificiorum præſtandi.

EGo N. filius N. Diœceſis N. plenam habens inſtituti huius Collegij notitiam, legibus, & conſtitutionibus ipſius, quas iuxta Superiorum explicationem amplector, me ſponte ſubijcio, eaſque pro poſſe obſeruare promitto.

Inſuper ſpondeo, & iuro, quòd dùm in hoc Collegio permanebo, & poſtquam ab eo quocunque modo, ſiue completis, ſiue non completis ſtudijs exiero, ante elapſum triennium nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, vel eiuſdem Sedis Nuncij ingrediar, neque in earum aliqua profeſſionem emittam.

Item ſpondeo, & iuro, quod volente Illuſtriſs. Protectore, aut Sac. Congregatione de Propaganda Fide, aut eiuſdem Sedis Nuntio Statum Eccleſiaſticum amplectar, & ad omnes Sacros etiam Præsbyteratus Ordines, cum Superioribus viſum fuerit, promouebor.

Denique ſpondeo, & iuro, quòd iuſſu eiuſdem Illuſtriſs. Cardinalis Protectoris, vel prædictæ Congreg. de Propaganda Fide, vel eiuſdem Sedis Nuntij ſine mora in Prouinciam meam reuertar, vt ibi in diuinis adminiſtrandis laborem meum, ac operam pro ſalute animarum impendam: quod etiam præſtabo, ſi cum prædictæ Sedis licentia, aut poſt triennium prædictum ſine dicta licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ingreſſus fuero, & in earum aliqua profeſſionem emiſero. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

L. Card. Ludouiſius.

Franciſcus Ingolus Secr.

De

De Collegio Aſconæ Comen. Diœceſis.

GREGORIVS Papa XIII., Cui per S. Carolum expoſitum, ſignificatumq; fuit Bartholomeum Pappium de Aſcona Comeñ Diœceſ., & Heluetiorum temporalis dominij, virum certè pium, & de patria, ac Catholica Religione optimè meritum, ex ſibi à Deo collatis bonis eius teſtamento Romæ condito de anno 1580. die 18. Auguſti, & per Curtium Saccocium de Sanctis Romanum, & Curiæ Capitolinæ Notarium rogato, ſcuta vigintiqvinque millia ad Seminarij, vel Collegij vnius in dicta Terra, pro eius loci informanda, & bonis moribus inſtruenda iuuentute, fundationem, & inſtitutionem reliquiſſe, eidem Sancto Carolo per litteras Apoſtolicas Romæ dat. apud S. Marcum VII. Calen. Septembris 1583. Pontificatus ſui anno XII., Collegij, & Seminarij huiuſmodi erectionem, ac omnimodam inſtitutionem demandauit, eamq; de anno 1584. die 30. menſis Octobris, vt ex inſtrumento per R. P. D. Marcum Antonium Bellinum tunc Canon. Ordin. & S. Mediolan. Eccleſiæ Cancellarium Archiepiſcopalem, poſteà Epiſcopum Bobieñ rogat. ad executionem perduxit, Nobile, quadrata forma, & eleganti ſtructura clauſtrum marmoreis columnis diſtinctum, & exornatum erigendo, & contiguam S. Mariæ de Quercula nuncupat. Eccleſiam præfata auctoritate aſſignando, Vbi Alumni quindecim ex dicto Pago aluntur, & tres, quattuorue prædicti Collegij expenſis in Seminarijs Mediolan. pro maioribus capeſſendis diſciplinis ſuſtentantur. Cum verò de præfatis nulla in Epiſcopali Curia extaret memoria, antedictum teſtamentum vnà cum Bulla, & executione recitatis de anno 1630. ab originalibus extractis, in Archiuio reponi, & hic annotari curauimus.

De Collegio Heluetico Mediolani.

GREGORIVS idem XIII., Quo flagabrat Religionis zelo, S. Caroli inſinuatione, & hortatu ſpeciali ſua conſtitutione nuper ex bullarum regeſto de Vrbe extracta, & in Epiſcopali Archiuio Comeñ ad futuram rei memoriam repoſita, quæ incipit. Dum amplas Heluetiorum, Rethorum, populorumq́; eis Subditorum Prouincias &c. edita anno Domini 1579. Menſe Iunij, Pontificatus ſui Anno VIII. opportunum in Ciuitate Mediolani inſtituit, & erexit Collegium, quod proprijs, ac eccleſiaſticis pro alendis, & benè educandis pueris nationum, & populorum huiuſmodi, ditauit redditibus. Cum autem iuxtà Sanctiſſimi Pontificis mentem, & diſpoſitionem perpetuis futuris temporibus nonnulli ex Comeñ Diœc. in eodem Collegio admittendi ſint. Placuit hic emanatam Conſtitutionem commemorare, ac præſcriptam regulam à bo. mem. Federico Cardinali Borromæo Archiepiſcopo Mediolaneñ. eiuſdem Collegij Adminiſtratore ſub die xv. Ianuarij 1622. pro ijs recipiendis editam, ac eodem anno Mediolani impreſſam, omiſſis non neceſſarijs apponere.

De Clericis in eodem Collegio recipiendis.

EX Heluetiorum Subditis, quattuor citrà Montes; Ex Valle Tellina octo; Ex Valle Clauenna duo. Et vltrà prædictum numerum liceat Archiepiſcopo ex mera dumtaxat eius liberalitate ex Heluetiorum Subditis vnũ ſuperaddere, & vnum etiam Valli Clauennæ adiungere. &c.

Inſtitut. Colleg. Heluet. par. 2 c. 1.

Verũ cum ex Rethis etiam, vt dictũ eſt, in Collegium nonnulli recipiantur, Peſclauijq́; Comitatus Comeñ Diœc. (vbi magnus eſt Catholicorum numerus, diuinæ gratiæ munere in vnitate Fidei Catholicæ perſeuerans) etſi citrà Montes, cum his tamen fœdere ſit copulatus, immò inter eius Prouinciæ partes numeretur; certè ambigendũ non venit, quin aliquis etiam ex hac regione, vt potè ex eadem Rethia, ſit admittendus, nè tanto careat beneficio, & prænarrata Conſtitutio debitum ſortiatur effectum.

S.D.N.

S. D. N. GREGORII PAPAE XV. CONSTITVTIO.

De exemptorum priuilegijs circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, Sanctimonialium Monaſteria, & Prædicationem Verbi Dei.

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Inſcrutabili Dei prouidentia Vniuerſalis Eccleſiæ regimini, meritis licet imparibus, præſidentes, paſtoralis noſtræ ſolicitudinis partes eſſe dignoſcimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantum Sacerdotibus ſanctè adminiſtrentur Eccleſiaſtica Sacramenta; atque vt Virginum Deo ſacrarum Monaſteria diligentiſſimè cuſtodiantur; & viri aſſumantur idonei ad prædicationis officium ſalubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis prouidè cautum eſt, nullum Præsbyterum, etiam regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illius videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Necnon vt in Monaſterijs, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ; tàm regulares, quàm ſæculares eiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita; Itemque vt Epiſcopi vniuerſi ſub obteſtatione Diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ

in

in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis Ordinaria, in alijs verò Sedis Apoſtolicæ authoritate clauſuram ſanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes: Atque vt regulares in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia: contradicente autem Epiſcopo, nulli, etiam in ſuorum Ordinum Eccleſijs, prædicare præſumant. Verùm quia experientia compertum eſt, Eccleſiaſtici regiminis rationes poſtulare, vt decretis eiuſmodi aliquid adiungatur: matura deliberatione noſtra, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tàm regulares, quàm ſæculares quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſterijs, ſeu domibus regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſijs, vel beneficijs, ſiue regularibus, ſiue ſæcularibus incumbentem exerceant, ſiue aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut vnum ex illis miniſtrent præuia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſiue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vlla auctoritate ſe ingerant: in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubijciantur. Ad hæc tàm regulares, quàm ſæculares huiuſmodi nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus, ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, ab Epiſcopo loci, ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confeſſores verò ſiue regulares, ſiue ſæculares, quomodocunque exempti, tàm Ordinarij, quàm extraordinarij ad Confeſſiones Monialium, etiam regularibus ſubiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis cõcedatur, obtineant. Sed & adminiſtrantes bona ad eiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam regularibus ſubiectarum pertinentia; ſiue regulares extiterint ſiue ſæculares, quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Liceatque Epiſcopo, ex rationabili cauſa Superiores regulares admonere, vt eiuſmodi Confeſſores, atque Adminiſtratores amoueant; ijſque Superioribus id facere

detra-

detractantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores admonendi quoties, & quando opus eſſe iudicauerit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vnà cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa. Ac demum habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coercendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tàm ſeculares, quàm regulares, qui in alienis Eccleſijs, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Ita vt Epiſcopi in ſupraſcriptis caſibus, & in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, vti eiuſdem Sedis delegati, procedere, omnemq; iuriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes ſic per quoſcunque Iudices quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis, aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere; Irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcunque perſonarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſario, & indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentum, Capitulorum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcunque tàm ſæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, vel Conſuetudinibus etiam immemorabilibus; exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa, & titulo oneroſo, vel in limine fundationis conceſſis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis. Conſeruatorum deputationibus, eorumque atque alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſuis alijs, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis

ſpecialis,

ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expræſſis habentes, quibus quoad ea, quæ eiſdem præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Cæterùm quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus illas ad valuas Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, atque Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti, eiſque detractis earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earundem præſentium litterarum tranſumptis, etiam impræſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo Prælati, ſeu Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XXII. Nonis Februarij, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Vrſinis.

Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Con-

S. D. N.
GREGORII
PAPAE XV.
Conſtitutio contra Hæreticos in Italia commorantes, eorumq; fautores.

GREGORIVS PAPA XV.
Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANI Pontificis Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſoris munus exigit, vt pro incumbente Dominici gregis cura, & ſollicitudine prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones, eas præſertim quæ ad Sacroſanctæ Fidei Catholicæ conſeruationem pertinent, quo ſuum perpetuum ſortiantur effectum, & inuolabiliter obſeruentur, innouet, & extendat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè compenſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem à fœl. rec. Clemente Papa VIII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis videlicet.

CLEMENS PAPA VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum ſicut non ſine magno animi noſtri dolore accepimus, quamplures Chriſti fideles ex diuerſis Italiæ partibus, eorum Patrijs, vbi vera, & S. Catholica, & Apoſtolica Religio viget; & publicè prædicatur diſcedentes, abeant in longinqua loca, vbi non ſolũ hæreſes impunè graſsãtur, ſed quod peius eſt, Catholicæ Religionis vſus publicè interdicitur, & prohibetur, quo fit, vt perſonæ ibi permanentes, etiam ſi Catholicæ ſint, cogantur tamen contra eorũ pia deſideria Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, alijsq; Diuinis Officijs, ac Sanctorum Sacramentorum perceptione in ſuarum animarũ diſcrimen diutius carere. Quare Nos his, & alijs malis, & periculis inde prouenientibus, quantum cum Domino poſſumus, obuiare cupientes, hac noſtra in perpetuũ valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, vt de

cætero

cætero nullus Italus, ſiue Mercator, ſiue cuiuſuis alterius conditionis, vel ſtatus exiſtat, quouis quæſito colore, prætextu, vel ingenio audeat habitare, vel domicilium tenere in Ciuitate, Oppido, ſeu loco vbi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtat, in qua liberè, & ſine omni periculo palam, & publicè celebrari, & audiri poſſint Sacroſanctæ Miſſæ, & alia Diuina Officia, & cōciones, ac Sacramēta Eccleſiaſtica miniſtrari, mortuorum corpora ſepeliri, & cætera fieri iuxta Ritum S.R.E. Vtq; ijdem Itali abſtineant à matrimonijs cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis, filios ſuos de ſacro Fonte leuari per hæreticos non permittant, nec ipſi viciſſim hæreticorum filios, niſi per Catholicum Sacerdotem Catholico more baptizentur leuare præſumant. Medicorum quoque hæreticorum opera neceſſitate ceſſante, & vbi adſit copia Catholici Medici idonei, non vtantur. Cum verò Itali prædicti ex Italia recedunt ad morandum, ſeù inhabitandum in partibus prædictis, id ſignificent ſuis Ordinarijs, vel Inquiſitoribus locorum, à quibus ſerio admoneantur; vt in eis perpetuo Catholicam, & Orthodoxam Fidem conſtanter retinentes, & profitentes, piam, & Catholicam vitam ducant, Dominicos, & Feſtos dies, abſtinentias, & ſacra ieiunia ab Eccleſia præcepta religiosè colant, atque omnem hæreſim, & errorem, hæreticos, ſchiſmaticos, & ab Orthodoxa Fide aberrantes fugiant, & euitent, ac vt ſaltem ſingulis annis de eorum Sacramentali peccatorum confeſſione, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptione per eos facta fidem, ſeu teſtimonium ipſis Ordinarijs, vel Inquiſitoribus in Italiam tranſmittant, ad quod & Nos dictos Italos tenore præſentium teneri, & obligatos eſſe decernimus, & mandamus. Quod ſi quis propriæ ſalutis immemor contra præmiſſa facere præſumpſerit, poſſit aduerſus eum per locorum Ordinarios, & Inquiſitores hæreticæ prauitatis vti de hæreſi ſuſpectum procedi. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem vt earundem præſentium tranſumptis etiā impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quę ipſiſmet præſentibus haberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 26. Iulij 1596. Pontificatus Noſtri Anno Quinto. Nos inuiolabili dictarum Clementis litterarum, & in eis contentorum quorumcunq; obſeruationi, quantum Nobis ex alto conceditur peramplius prouidere volentes. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione eaſdem Clementis prædeceſſoris litteras, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illaſque innouamus, ac inuiolabiliter obſeruari mandamus. Inſuper ne vllus Hæreticus in locis Italiæ, & Inſularum adiacentium, neq; etiam

ſub

ſub commercij, mercimonij, aut alio quouis prætextu domicilium contrahere, ſeu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis conceſſam, ſeu habitare, aut morari poſſit, earundem tenore præſentium prohibemus, ac reſpectiuè ſtatuimus, & ordinamus. Contra prohibitioni autem, ac ſtatuto, & ordinationi noſtris huiuſmodi non parentes, ſeu contrauenientes cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quam ſæcularis exiſtentes, iuxta formam iuris procedatur, & puniantur. Et ſimili modo eos, qui hæreticos prædictos receptauerint, eiſque quoquomodo contra præſentium litterarum tenorem, fauorem, opem, ſeu auxilium præbuerint, vti fautores, & receptatores Hæreticorum puniri, ſicque per quoſcunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in iudicio & extra, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eædem præſentes poſt duos menſes à die illarum publicationis computandos, omnes & ſingulos ad quos ſpectat, arctent; & afficiant, perindè ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris, die ij. Iulij M DC XXII Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Milleſimo ſexenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione quinta, Die verò prima Menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. GREGORII Diuina prouidentia Papæ XV. Anno eius Secundo: Retroſcripta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, vt moris eſt per me Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem.

Octauius Spada Mag. Curſ.

DECRETA
SACRÆ CONGREGATIONIS
CONCILII
S. D. N. VRBANI DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VIII.
AVCTORITATE EDITA,

De Celebratione Miſſarum.

CVM ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, vt depereant piè teſtantium voluntates, obſtricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ ſuffragijs priuentur, Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles graui ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt; ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri, aut quòd Eccleſijs, ſorte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque vllo emolumento, aut quod eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſubſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur: SACRA CONGREGATIO CARDIN. CONCIL. TRIDENT. INTERPRETVM animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam; charitatique, ac Iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi prò viribus ſatagat hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare: Sanctiſſimi D. N. VRBANI Diuina Prouidentia PP. VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, nè Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodò reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ,

re

re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis, celebrandis plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcumque tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, SAC. CONGREGATIO ſub obteſtatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò vt deinceps obſeruetur exactius, SAC. CONGREGATIO eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, cuiuſcumq; Ordinis, Congregationis, & inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, nè eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Prætereà, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta; ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tàm ſæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expræſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem prætium ſub eadem pœna, vt ſupra deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Adhæc SAC. CONGREGATIO quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarũ, ac piorum locorum, tàm ſæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, ſæculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis cõſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; alioquin ſęcularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demùm ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendi, & capſulas auferant ab Eccleſijs cũ inſcriptione illa, Eleemoſyna pro Miſſis, vel alia ſimili ſub ijsdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne fideles hac ratione fruſtrẽtur. Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tàm nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iàm ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamq; rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adiunctis ſecundum morem cuiuſq; Ciuitatis, vel Prouinciæ, intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint in Nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremo ILLVSTRISS. PATRES, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac pręcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemoſinæ cuiuſque Monaſterij; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sac. Tridentini Concilij decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi D.N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Pręſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac domorũ Regularium bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adiacẽtium, vt ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congre-

gationis

gationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & prouentus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obuentiones, tàm communes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas in communem vſum deinceps conferendas decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliauè cuiuslibet generis onera conſueuerunt abſorbere, eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus vt ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connumeratis etiam laicis, alijſque neceſſarijs ſeruientibus, in vno quoque Monaſterio, Conuentu, & Domo Regulari, iuxta regionis, & proprij inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſq; familiæ, Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis in ſingula quaque Prouincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat SAC. CONGREGATIO, vt infra annũ, poſt proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant, numerumq; familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi regularium, Capituli, ſeu Congregationis Generalis, vel Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò ſeruare omnino teneantur, nec poſſint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, vt ſupra præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiã grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel

Societas Religioſorum, ſeu Regularium, nullibi recipiatur, niſi, præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum Decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca huiuſmodi poſt hac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atq; inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atq; omnimodæ iurisdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem habeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt octauam Corporis Chriſti præſentes ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tàm Eccleſiaſticis perſonis cuiuſcunque ſint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laici quocunque honore, ac poteſtate præditis præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Io. Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſario, & indiuiduo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tàm ſæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam Mari Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil pœnitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expræſſis habẽs,

quibus

quibus quo ad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadē SACRA CONGREGATIO, vt præſentes Ordinationes in Valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent: Vtque earundem præſentium tranſumptis, etiam impræſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Coſmus Cardinalis de Torres.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congreg. Sec.

Anno D. N. Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua, Pontificatus autem in Chriſto Patris, & D. N. D. Vrbani Diuina Prouidentia PP. Octaui, Anno eius Tertio, die verò vigeſima ſecunda menſis Septembris, ſupraſcripta Decreta affixa, & publicata fuerunt, ad Valuas Baſilicarum S. Io. Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Camillum Fundatum, & Fabbium Emilianum Sanctiſs. D. N. PP. Curſ.

Brandimartes Latinus Prælibati Sanctiſs. D. N. PP. ac S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis Curſor pro Mag. DD. Curſ.

DECLA-

DECLARATIONES ALIQVOT SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII S. D. N. VRBANI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII. AVCTORITATE EDITAE,

Super Decretis eiuſdem Congregationis De celebratione Miſſarum.

SVPER Primo Sacræ Congregationis Decreto, de Celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis:

Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi onera moderari?

Secundò, Super ſecundò eiuſdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur: an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriſcriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, An cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam, iuxtà qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minùs congruo, teneantur Miſſas illis ab offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, An Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votiuis, aut defunctorum, recipere, & vnico Miſſæ Sacrificio vtrique oneri ſatisfa cere?

Quintò, Poſito quod Teſtator relinquat vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione eleemoſynæ. Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an

verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, Super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione; aùt aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, An verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimò, Super quartò eiuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, An permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, An hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt, An Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eandem integram eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis, ſit, vt dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Vndecimò, Super quintò eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ità demùm ijdem accipere poſſint, ſi oneribus anteà impoſitis ità ſatisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omninò abſtineant ab huiuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant &c.

Quæritur, An hoc Decretum prohibeat abſolutè, quò minus accipiant nouas eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, Quid, ſi offerens elemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primùm poterit?

Decimotertiò, An pœna Interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur.

Decimoquartò, An in hoc Decreto compræhendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die Commemorationis omnium Sanctorũ, & vulgò dicuntur (caſſe de Morti)?

Deci-

Decimoquinto, An Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ deuotionis, & concurſus poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijſdem Miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne alias cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus Fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoſexto, Quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum, tàm ſæcularium, quàm Regularium, ſuperioribus de quibus fit expræſſa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen compræhendi videntur ſub clauſula generali (& alijs ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimo, Super ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari:

Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti ſan: mem: Pauli V., abſq; tamen computatione reddituum cuiuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec nè?

Decimo octauo, An nouitij ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus, habita vt ſuprà præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimonono, Super Vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur conuentus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltèm fratres in eis degere, & competentèr ſuſtentari valeant, ità vt alioquin ſubſint Iuriſdictioni ordinariæ:

Quæritur, An hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, compræhendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimo, An idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia duntaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extrà Italiam?

Sacra

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſs. D.N. attributa, Ad ſingula dubia ſuperiùs propoſita ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vtſupra, impoſiti, ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam; quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit; Verumtamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderare, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita nõ ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd ſi tribuens eleemoſynã numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione beneficij, ſeù Cappellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro alijs etiã Miſſis celebrandis ſuſceperint; non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, vbi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca Pia, ſeù illorum adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam, vtcumq; minimam, portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominùs eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vtſupra deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octauum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad

Ad vndecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus idm ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infrà modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.
Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pró aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat, vt illæ tunc demùm celebrentur cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis iuxtà benefactoris conſenſum celebrandis.
Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel eis Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.
Ad decimumquartum, compræhendi.
Ad decimumquintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, vt ſupra, in reſponſione ad duodecimum.
Ad decimumſextum, compræhendi etiam priuatos Sacerdotes.
Ad decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.
Ad decimumoctauum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deindè in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.
Ad decimumnonum, ceuſuit compræhendere.
Ad vltimum, habere locum etiam extrà Italiam.

Coſmus Cardinalis de Torres.

Locus ✠ Sigilli.

Proſper Fagnanus Sac. Congreg. Sec.

DECLA-

DECLARATIO

Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, circa facultatem abſoluendi à Caſibus Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario reſſeruatis.

SACRA Congregatio S.R.E. Cardinalium negocijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacr. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixiſſe Priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſoluendi à caſibus Ordinario loci reſſeruatis; Quemadmodum nec indulta abſoluendi à caſibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi conſueuit, vt potè ſublata per annuam ipſius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquiſiuiſſe ex ſubſequentibus Priuilegiorum Confirmationibus: Ac proinde Regulares cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Priuilegiorum, aut Confirmationum eiuſmodi, quas vel hactenus obtinuerũt, vel deinceps fortè obtinebunt, poſſe quemquam abſoluere ab eiſdem caſibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reſeruatis: Ac ſi ſecùs egerint, abſolutiones nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore: Ab alijs verò caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſſeruatis, ſi quidem Regulares habeant à Sede Apoſtolica abſoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè ſublatam fuiſſe ijſdem Sac. Congregationis Decretis hac de re editis iuſſu ſan. mem. Clementis VIII.

Quam Sacræ Congregationis ſententiam Sanctitas Sua ad ſe relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari. Romæ 17. Nouembris 1628.

F. A. Card. S. Honufr.

Locus ✠ Sigilli.

P. Fagnanus Sec.

LA-

LAZARVS
Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Comenſis, & Comes &c.

VNIVERSO Clero, & Populo Ciuitatis, & Diæceſis noſtræ ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Synodum Diæceſanam, quam indiximus, diuina fauente clementia, Dominica tertia præſentis menſis celebraturi, omne vigilantiæ ſtudium adiecimus, ne quid deſit, quod mentes hominum ad diuinam opem implorandam valeat excitare; quo, & vberior redundet fructus, & actio tam grauis non ſine debita maieſtate perſolnatur. Sanctiſſimi itaque D. N. paternam benignitatem ſupplices deprecati pro ſpirituali munere, ſpecialem plenariæ Indulgentiæ gratiam reportauimus, quam, vt vobis omnibus innoteſceret, hiſce noſtris inſertam, affigi, & publicari mandauimus.

VRBANVS PAPA VIII.

Venerabili Fratri Lazaro Epiſcopo Comenſi.

Venerab. frater ſalutem, & Apoſtol. benedict. Cum ſicut nuper Nobis exponi feciſti, tu Synodum tuam Diœceſanam, & in ea Miſſam ſolemnem in Pontificalibus, diuina aſpirante gratia propediem celebrare intendas. Nos ad ea, quæ Chriſti fidelium animarum ſaluti, ſimulque tuæ ſpirituali conſolationi inducunt, libentèr paternæ noſtræ charitatis fauorem dirigentes; Omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui in die, qua dictam Miſſam in pontificalibus, vt præfertur, in ipſa Synodo celebraueris, eidem Miſſæ, & benedictioni, per te poſt Miſſarum ſolemnia, ſuper Populum elargiendæ deuotè interfuerint, ſeu eadem die, Ec-

cleſiam Comenſem etiam deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque, Præſentibus poſt dictam diem minimè valituris. Volumus autem, quòd ſi pro præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium, aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, ipſæ præſentes nullæ ſint eo ipſo. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die xvij. Augusti M. DC. XXXIII. Potificatus noſtri anno vndecimo.

Omnes veſtrum ſingulos cohortantes in Domino, vt huius cæleſtis Theſauri participes effecti, veſtris aſſiduis orationibus, & precibus, opus tam ſanctum, & ſaluberrimum promoueatis, obſeruantiamque filialem erga Eccleſiam hanc matrem veſtram huiuſmodi deuoto obſequio perſoluatis: Quod enim ſollicito ſtudio in commune bonum dirigitur, communi etiam orationum ſubſidio ſuſtentari decet. In quorum fidem &c. Dat. Comi ex Palatio noſtro Epiſcopali die vi. menſis Septembris M. DC. XXXIII.

L. Epiſcopus Comen.

Carolus Andreas Bellius Secret.

INSTRVTTIONE

Per riceuere Monſig. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Veſcouo di Como alla Viſita.

Franciſcus Theus I. V. D. Proth. Apoſt. ac Illuſtriſs. & Reuerendiſs. in Chriſto Patris D. D. Lazari Caraſini Dei, & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopi Comen. & Comitis &c. Vicarius Generalis.

OLtre quello, che prudentemente fù ordinato dalla buo. mem. di Monſig. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Filippo Archinto già Veſcouo di queſta Città, intorno al viſitar la Dioceſi, & à ciò, che doueranno apparecchiar li viſitandi, per dar minuto conto di ſe, delle Chieſe, & ſtato dell'anime alla cura loro commeſſe, come per l'Editto ſtampato nel fine della Viſita Apoſtolica fogl. 19. Che ogni Vicario foraneo, Arciprete, Preuoſto, Rettore, ò altro à chi tocca, douerà riuedere, & oſſeruare diligentemente, e far ritrouare eſſequiti li Decreti delle paſſate Viſite, ci è parſo iſpediẽte di dare anco la preſente Inſtruttione à fine, che ogni coſa paſſi con ordine, pontualità, & quiete tale, che più non ci reſti, che deſiderare in attione tant importante, e neceſſaria.

Auiſino il popolo ſuo, e l'inuitino, acciò che habbi à trouarſi preſente, e far feſta il giorno della Viſita della loro Parochia, per meglio aſſiſtere alle fontioni, che farà il ſuo Paſtore, qual viene in perſona à trouarli à caſa per beneficio, e ſalute dell'anime loro, & per ſoccorrerli nei biſogni ſpirituali; le publicheranno l'Indulgenza plenaria, ouero l'Epiſcopale, quando ne ſaranno particolarmente auiſati.

Auuertendo, che non ſi faccino ſtrepiti di ſparar archibuggi, ò mortaletti, nè tanpoco ſopra de Laghi quelle garre di barche da Confrati, ò altri nel venir ad incõtrare, poiche oltre le ſpeſe, ne naſcono anco tal volta diſordini, & impedimẽti al ſeruitio, che ſi pretende da queſta ſanta attione.

Procurino d'ornare le Chieſe, & le porte, e faccino ſuonare le campane, come ſi fà nelle ſolẽnità, & ſi ſuoni ancora per alcuni giorni auãti la viſita.

Sopra l'Altare ſiano ſei, ouero almeno quattro candelotti conuenienti, & ci ſiano quattro torchie per diuerſi vſi, ouero almeno due.

La Bradella dell'Altare con li gradini d'eſſo, ſia coperta di panno, ò tapeto, & così ſia ſempre, quando Monſig. Illuſtriſſimo hauerà da fare attione ſacra in Chieſa.

Apparecchino la Sedia Epiſcopale più decente, & più conforme all'vſo della Cattedrale, che ſia poſſibile, & auanti à gradi dell'Altare ſia apparecchiato vn inginocchiatorio con tapeto, & coſſini.

Faccino

Faccino che la biancheria della Chieſa, li Candeglieri, Turibolo, nauicella, & ogni altra coſa ſia monda, & polita.

Proueggano di particole, ò communichini per la S. Communione del Popolo, che Sua Signoria Illuſtriſſima miniſtrerà, quale con ogni vfficio, & diligenza procureranno, che ſia preparata numeroſa al poſſibile con prima confeſſarſi tutti.

Ci ſiano più Sacerdoti, e Chierici preparati, che aggiutino nell'amminiſtratione de Sacramenti, & altre attioni ſacre.

Doue Monſig. Veſcouo ſmonterà & s'inginocchierà ad adorare, & bacciare la S. Croce, ſia apparecchiato vn tapeto, & coſſini, & vn baldachino; & queſto ſi farà alla porta della Terra, qual douerà eſſer ornata con apparato conueniente, ò non vi eſſendo porta, in altro luogo più decente, & commodo, in maniera che ſi poſſa ſtendere la proceſſione.

Tutti i Chierici della Parochia con le ſue cotte, & i Regolari ancora ſe ciſono, & le Confraternità con l'habito ſuo, & il Popolo più frequente che ſi poſſa, ſi trouino al detto luogo nell'ingreſſo, ſpecialmente quelli, che hanno d'eſſer creſimati; & le Scuole della Dottrina Chriſtiana, & mentre s'inuiano con varij chori cãtino Hinni, e Litanie, & il Clero il Benedictus, & quello, che in eſſo terrà il primo luogo, & porgerà la Croce à baſciare, ſia veſtito con cotta, ſtuola, e piuiale bianco, ſe n'haueranno.

Alla porta della Chieſa, ſi apparecchino il Sitellino con l'acqua benedetta, & aſperſorio col turribolo, nauicella, & incenſo, & il Sacerdote procurarà d'informarſi bene della ceremonia, che hauerà da fare, & iui, & nelli altri luoghi.

Per l'aſſolutioni de Morti, che ſi fanno nel principio della Viſita, ſi tẽga preparato, ò riposto in qualche luogo vicino all'Altare il panno, ò letica de Morti per preſto hauerlo in prõto à ſuo tempo, ſenza ſcorrere la Chieſa all'hora piena di popolo; Et il Cemeterio ſi troui purgato dall'herbe, & mondo, come pur l'Oſſario, quando vi ſia, ben incathaſtrato, & con le ſue crati, ò ſerrature neceſſarie.

Per la Creſima auiſeranno i Popoli, che niuno ſi preſenti per riceuere queſto Sacramento, che non ſia maggiore di ſette anni, & che de gl'adulti niuno ſarà admeſſo, che non ſia almeno cõfeſſato; che ſi creſimarà la mattina, & non dopò il pranſo, & che perciò doueranno eſſer tutti digiuni; che le donne ſi prouegghino di donne per Comari, & li huomini d'huomini per Compari, & che niuno, che non ſia creſimato può eſſer Compare, ò Comare d'altri, & finalmente che queſto non è Sacramento iterabile, con auiſarli della parentela, che ſi contrahe trà li Cõpari, ò Comari, & li Creſimati, e ſuoi Padri, e Madri.

Proueggano di bombagia netta per aſciugare il Sacro Oglio della Cõfermatione in frõte dei Confermati, vn'Aſciugatore per il medemo effetto, & vn Vaſo decente per riporre la bombagia vnta.

Per l'Alloggiamento poi di Monſig. Illuſtriſs. Veſcouo, & ſua Famiglia.

S'Apparecchiarà d'alloggiare ſempre nella Caſa della Chieſa, & non eſſendoui, in altra cōmoda, e più vicina alla Chieſa, che ſia poſſibile.

La camera doue dormirà Monſig. Illuſtriſsimo ſi netti bene, & non vi ſia altro, che il letto, vn tauolino, due ſedie, & ci ſia dell'acqua benedetta, & qualche quadro di deuotione.

La famiglia di Monſignor Veſcouo, ſarà circa dieci bocche, e per eſſa ſi prouederà de letti per tutti ſeparatamente, quanto ſarà poſſibile.

S'apparecchino caualcature, ò barche per mandare, ſecondo, che ſi auiſarà di volta in volta, da vn luogo all'altro per non grauar la Viſita.

Per la tauola di S. S. Illuſtriſsima, & de ſuoi, quale ſarà in commune, ci potrà eſſere antipaſto di frutta, ò altro, ſecondo l'vſanza, mineſtra, pitanza, vna ò due al più, ò ſia di graſſo, ò di magro; Poſpaſto de frutta, ò altro, ſecondo l'vſanza, nè ci ſia alcuna viuanda eſquiſita, ma di quello, che communemente ſi troua in quelle parti.

Non vi ſiano confetti di niuna ſorte, nè zuccaro, nè ſpeciarie, ma ſolo vn poco di pepe, doue ſarà biſogno, & il Sabbato ſi farà aſtinenza la ſera.

S'apparecchi ſtalla, ò fieno per ſei, ò ſette caualli, quando s'haueſſero à condurre, & trattenere per tutta la Viſita.

Non vi ſiano donne in caſa, ſe non quella, che foſſe approuata per la ſeruitù del Rettore.

S'auuerta, che non mangino sù la ſpeſa della Viſita altre perſone, che quelle, che ſaranno della Compagnia, ò famiglia di Monſignore, nè tanpoco ardiſchi alcuno di porſi alla tauola, ſe non foſſe particolarmente chiamato da Monſig. Veſcouo medeſimo, e non da altri, & il tuttò s'eſſequiſca pontualmente come ſopra.

Non ſi ecceda in tutto la ſpeſa del viuere, quello che importerà la rata de ſoldi trenta per ciaſcuna bocca, che mangiarà alla tauola di Monſig. e di ſoldi vinti per ciaſcuna della famiglia baſſa, perche nō ſi permetterà, che ſi faccia riparto di maggior sōma, e Monſig. Veſcouo caſtigherà anco di più ad arbitrio ſuo quelli, che eccederanno. Si riſerua però à S. S. Illuſtriſſima di poter accreſcere la detta taſſa ſoldi cinque ne' luoghi più penurioſi, come pure di ſminuirla, ſecōdo che richiederà il caſo, & il douere.

Non manchino adunque d'vbbidire, & apparecchiare cō ogni diligēza quanto ſe li commanda con pregare Iddio inſtantiſſimamente, che caui da queſta Viſita copioſiſſime frutto à beneficio delle anime.

Dal Palazzo Epiſcopale di Como li 15. di Decembre 1634.

F. Theus Vic. Gen.

P. Bernardinus Paganus Cancell.

STATÆ HORÆ CATHEDRALI COMEN.

Cui reliquæ Eccleſiæ ſe conformare debent,

Ad Diuina Officia inchoanda ſecundum Anni variationem

Præmiſſo Campanarum ſigno in dupl. vnius horæ : in ſemidupl. verò, & ſerialibus mediæ,

Quod ſignum anticipari debet, cum habetur S. Concio, per horam: & cum itur ad Stationes per mediam.

	MAT.	TER.		MAT.	TER.
IANVARII.			MAII.		
A pr. die ad xj. hora	16.	18.	A prima ad xj. hora	11.	13. & m.
ab xj. ad xxj.	15. & m.	17. & m.	ab xj. ad xxj.	10. & m.	13.
à xxj. ad vlt.	15.	17. & m.	à xxj. ad vlt.	10.	12. & m.
EEBRVARII.			IVNII.		
A prima ad xv. hora	14. & m.	17.	A prima ad vlt. hora	10.	12. & m.
à xv. ad vlt.	14.	16. & m.			
MARTII.			IVLII.		
A prima ad xj. hora	13. & m.	16.	A prima ad vlt. hora	10.	12. & m.
ab xj. ad xxj.	13.	15. & m.			
à xxj. ad vlt.	12. & m.	15.			
APRILIS.			AVGVSTI.		
A prima ad xj. hora	12.	14. & m.	A prima ad xv. hora	10. & m.	13.
ab xj. ad xxj.	11. & m.	14.	ab xv. ad vlt.	11.	13. & m.
à xxj. ad vlt.	11.	13. & m.			

	MAT.	TER.		MAT.	TER.
SEPTEMBRIS.			NOVEMBRIS.		
A prima ad xj. hora.	11.& m.	14.	A prima ad xj. hora.	14.& m.	17.
ab xj. ad xxj.	12.	14.& m.	ab xj. ad xxj.	15.	17.& m.
à xxj. ad vlt.	12.& m.	15.	à xxj. ad vlt.	15.& m.	18.
OCTOBRIS.			DECEMBRIS.		
A prima ad xj. hora	13.	15.& m.	A prima ad vlt. hora	16.	18.
ab xj. ad xxj.	13.& m.	16.			
à xxj. ad vlt.	14.	16.& m.			

V E S P.

A Paſcha Reſ. vſq; ad Kal. Maij	19.& m.	A xxj. Octob. ad Kal. Nouēbr.	20.
A Kal. Maij vſq; ad xxj. Septem.	19.	A Kal. Nouembr. ad xxj.	20.& m.
A xxj. Sept. vſq; ad xxj. Octob.	19.& m.	A xxj. Nouēb. vſq; ad Kal. Feb.	21.
Dieb. feſtiuis à Paſchate vſq; ad xxj. Octobris	20.	A Kal. Febr. ad Paſcha	20.& m.
		Complet. In Quadrageſima.	21.

IN Quadrageſima cum certa regula dari non poſſit mane ad Eccleſiam conueniendi, eo quia quotannis variari ſolet iuxta temporum contingentiam, ſtatæ horæ ſignum, vel differatur, vel acceleretur ad mandatum Superioris.

Quo die ex præcepto Eccleſiæ ieiunium citrà Quadrageſimam iniunctum eſt, ſignum Tertiæ à Pentecoſte, vſque ad Calen. Nouembris, ſaltem per dimidiam horam differatur.

In diebus autem Purificationis B. V. Mariæ, & Fer. 4. Cinerum per dimidiam horam, & in Dominica Palmarum per horam ſimilitèr præueniatur.

Quotieſcunque ſolemnes ſupplicationes obeundæ erunt, vel aliqua alia extraordinaria functio, ſeu occaſio contingat, pro temporis, & rei opportunitate fiat commutatio de Superioris mandato.

Ordinem ſuprà deſſignatum nemo audeat immutare abſque Superioris conſenſu ſub pœna aurei vnius Sacriſtiæ Eccleſiæ applicañ.

PRE-

PRECES
DICENDÆ IN ORATIONE
Quadraginta Horarum.

Populo in Eccleſia congregato Parochus cum cotta, & ſtola albi coloris genuflexus ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti aliquantulum orans, tùm ſurgens, & ſtans dicet, vt infrà.

℣. Memento congregationis tuæ.
℟. Quem poſſediſti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. OREMVS.

AVrem tuam, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda, & mentis noſtræ tenebras gratia tuæ viſitationis illuſtra. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum.

Deinde fit Sermo breuis. Poſt Sermonem fit oratio mentalis per ſpacium mediæ Horæ. Poſtea Parochus, ſtans alta voce dicit ſequentes orationes.

Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas in tentationē. ℟. Sed libera nos a malo.
℣. Concede quæſumus Domine populo tuo, vt ſit vnum cor, vna fides, & anima vna.
℟. In obſeruatione mandatorum tuorum.
℣. Conuertere Domine aliquantulum.
℟. Et depræcabilis eſto ſuper ſeruos tuos.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.
℟. Quemadmodum ſperauimus in te.
℣. Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis.
℟. Miſerere nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo. OREMVS.

DEus refugium noſtrū, & virtus adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter cōſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMVS.

ECcleſiæ tuæ quæſumus Domine preces placatus admitte, vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis ſecura tibi ſeruiat libertate.

Deus,

DEus, qui præcioſiſſimo ſanguine dilecti filij tui humanũ genus redimere, & per Beatos Apoſtolos eius iacentem mundum in tenebris, ad Euangelij lucem dignatus es reducere: Tribue quæſumus, vt aduerſus Turcarũ, & Hæreticorum gentes, cunctaſq; nationes viuificę Crucis inimicas, fideles Principes ita vniantur, & vniti ſemper permaneant, ac potenter arma ſuſcipiant, vt pro tui nominis gloria militantes, virtutis tuæ brachio ſubleuati ad Eccleſiam tuam victricia ſigna reportent.

DEus omnium fidelium Paſtor, & Rector famulum tuum Vrbanum, quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ pręeſſe voluiſti propitius reſpice: da ei quæſumus verbo, & exemplo, quibus præeſt proficere, vt ad vitam vnà cum grege ſibi credito perueniat ſempiternam.

QVæſumus omnipotens Deus, vt famulus tuus Philippus Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiã omnium percipiat incrementa, quibus decentèr ornatus, & vitiorum monſtra deuitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratioſus valeat peruenire.

DEus, qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſus operaris in minimis, cõcede famulo tuo Antiſtiti noſtro Lazaro Sacris conuenientèr ſeruire myſterijs, atque in omnibus tua miſericordia protegat, quem Paſtoralis cura perterret.

DEus, qui Angelorum munitionibus ſanctam Hieruſalem viſitas, & protegis, in qua fidelium animæ requieſcunt, reſpice propitius omnipotens, & miſericors Deus intercedẽte glorioſa Virgine Dei genitrice Maria, & S. Confeſſore tuo, & Patre noſtro Abundio, cum omnibus Sanctis tuis, ſuper hanc Ciuitatem, in qua fideles homines commorantur, non irruat in eis fames, nec peſtis, nec gladius, nec vlla calamitas inimicorum ſæuientium, nec accedat in eis mors amariſſima. Repelle Domine à famulis tuis omnem languorem, & omnem infirmitatem, extende Domine potentiſſimam dexteram tuam ſuper Ciuitatem iſtam, & reple eam abundantia, & larga pietate, & miſericordiæ tuæ benedictione; reple eam Domine iuſtitia, miſericordia, & veritate, vt ſit in ea pax, & charitas ſempiterna, viſita eam Domine præſenti tempore, nec eam deſeras vnquam, cuſtodi eam Domine firmiſſimam in ſempiternum Rex Regum Domine Deus noſter. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & miſericors Dominus.

℞. Et cuſtodiat nos ſemper. Amen.

PRECES DICENDÆ
In principio Congregationis.

VEni ſanĉte Spiritus reple tuorum, corda fideliũ, & tui amoris in eis ignẽ accẽde.
Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Memẽto Cõgregationis tuę.
℟. Quam poſſediſti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

MEntes noſtras quæſumus Domine lumine tuæ claritatis illuſtra, vt videre poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus. Per Chriſtum Dominum, &c.

In ſine Congregationis.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo tuo, quod eſt in Hieruſalem.
℣. Domine exaudi orationem.
℟. Et clamor meus ad te veniat
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMVS.

PReſta nobis quęſumus Domine auxilium gratiæ tuæ, vt quæ te auctore facienda cognouimus te operãte impleamus. Per Chriſtum &c.
℣. Retribuere dignare Domine benefactoribus noſtris viuis atq; defunctis vitam æternam. ℟. Amen.

FINIS.



COMI,
Ex Typographia Amantij Frouæ.
M. DC.XXXIIII.

Taſſato in ſoldi trentacinque ligato in cartone.

Errata ſic corrige.

pag. 5.	lin. 11.	Hibernijs,	Hibernis
pag. 18.	lin. 19.	Communitas	Communitatis.
pag. 28.	lin. 2.	aſſocietur	aſſocientur
pag. 28.	lin. 28.	auguſtali	Auguſtali
pag. 29.	lin. 6.	& aliorumq;	aliorumq;
pag. 32.	lin. 11.	Archiuio	Archiuij
pag. 34.	lin. 26.	in vtilia	inutilia
pag. 37.	lin. 9.	Beneficialibus.	Beneficiatis
pag. 40.	lin. 9.	nobiles	nubiles.
pag. 41.	lin. 21.	præſumant	ad de Conc. Salegunſtadienſe ſub Aribone Archiepiſcopo Moguntino anno 1022.
pag. 60.	lin. 22.	diei	dici
pag. 67.	lin. 11.	fermulam	formulam.
pag. 78.	lin. 4.	Cattolico	Catthollco
pag. 79.	lin. 15.	Epiſcopalis	Epiſcopali.
pag. 82.	lin. 8.	executioni	executione
pag. ead.	lin. 19.	quæ par eſt,	qua par eſt
pag. 93.	lin. 17.	annna	annua
pag. 98.	lin. 4.	Cantus	Canonicatus
pag. 98.	lin. 25.	balenis.	balneis.
pag. 105.	lin. 7.	ſimplicea.	ſimplicia
pag. 108.	lin. 6.	Caſcius.	Caſſius.
pag. 123.	lin. 3.	Theoloneo	Theloneo
pag. 124.	lin. 13.	exhibitine.	exhibitione
pag. ead.	lin. 30.	maſſaretijs	maſſaritijs
pag. 125.	lin. 30.	con	cum
pag. 127.	lin. vlt.	fedeliſſimi	fideliſſimi

162
E
1

VA1 1528220

Digitized by Google

BI
VITT
16
2